DE VEL IMPERATIVO
QVATENVS AB AVT PARTICVLA DIFFERAT

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORVM MARPVRGENSIVM ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GVILELMVS KOHLMANN
POSNIENSIS

MARPVRGI CATTORVM
TYPIS FRIEDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI
MDCCCXCVIII

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine approbata die XVIII mensis Februarii a. h. s. XCVIII.

THEODORO BIRT

SACRVM.

Nuper cum Plauti comoedias perlegerem, sub oculos mihi cecidit, quantopere illis temporibus *aut* et *vel* particularum significationes inter se diversae fuissent, et quo intentius animum advertebam, eo magis sententia haec confirmabatur, praesertim cum etiam Terentium isdem legibus constrictum esse viderem. Itaque cum operae pretium esse putarem, si quis quaereret, quamdiu hic rei status mansisset et quomodo circumvolventibus saeclis se mutavisset, Romanarum litterarum monumenta nobis servata perscrutatus et fata utriusque particulae persecutus sum, ita ut praecipue tempora quae tendunt fere usque ad Ciceronis adulescentiam plene exhaurirem, ex iis autem quae sequuntur nonnulla tantum eligerem, ea scilicet, quae ad rem demonstrandam maioris momenti esse viderentur. Quibus omnibus locis in unum collectis utrique particulae, ut ita dicam, curriculum vitae brevissime adumbravi.

I. Grammaticorum latinorum praecepta de *aut* et *vel* enumerantur.

Primo loco quaestionis ponenda sunt, quae veteres grammatici de vi et significatione illarum particularum senserunt et in artibus suis tradiderunt. Quod ideo fit maxime, ne auctoritatem eorum spernere videar; neque vero adhuc ita composita sunt testimonia, ut facile atque commode perspici possint. Quibus ex grammaticis Priscianus nos docet spissioribus et uberioribus praeceptis, nimirum quae continentur eis libris in quibus de syntaxi agit. Sunt vero haec:

Prisc. XVI, 7 (collectionis Keilianae tom. III p. 97): *Disiunctivae sunt, quae quamvis dictiones coniungunt, sensum tamen*

disiunctum et alteram quidem rem esse, alteram vero non esse significant, ut ‚ve, vel, aut'. Vergilius in VII (v. 199)

Sive errore viae seu tempestatibus acti

et ‚vel dies est vel nox'. Iuvenalis in I (3, 295)

aut dic aut accipe calcem.

Vergilius in II Aeneidos (v. 48)

Aut aliquis latet error, equo ne credite, Teucri

in eodem (v. 46)

Aut haec in nostros fabricata est machina muros.

Et est, quando indicative dicuntur, est quando dubitative: indicative, ut ‚aut lux est aut tenebrae', dubitative, ut ‚aut prodest aut non prodest divitias quaerere'.

Subdisiunctivae sunt, quae voce disiunctivarum utrumque tamen esse significant, vel simul, ut copulativae, vel discrete. Simul, ut Terentius in Eunucho (III, 1, 7 sq.)

vel rex semper maximas
Mihi gratias agebat

pro ‚etiam rex'. Idem in Phormione (V, 8, 96)

Vel oculum excludito, est ubi vos ulciscar locus [1]

et ‚Alexander sive Paris' pro ‚Alexander qui et Paris dicitur'; similiter ‚Mars sive Mavors, Gradivus vel Maspiter, praesul est bellorum'.

Discrete utrumque tamen esse significat, ut ‚toto die vel legit iste vel cogitat'; significat enim et legere et cogitare, sed non simul utrumque facere, sed aliis horis legere, aliis cogitare. Similiter ‚remex vel expellit remum vel attrahit', cum simul paene utrumque fieri intellego, sed distincte; alius enim motus pellentis, alius trahentis. Similiter si dicam ‚vel tunicam mihi accommoda vel etiam paenulam', subdisiunctivum est; videor enim in alterius petitione libenter utrumque accipere. Sed potest hic etiam disiunctiva esse, aliud est enim alterutrum petere, aliud utrumque. Ergo si dicam ‚vel tunicam vel paenulam', alterutram ostendo; cum vero addam ‚vel etiam tunicam', ostendo vel unam rem velle

1) Quam falso hos duos locos interpretatus sit grammaticus, postea indicabo, cf. sub cap. V.

vel duas, quod est disiunctivum. Invenitur tamen ‚vel' coniunctio etiam deminutionem significans, ut Lucanus in VII (v. 29)

O felix, si te vel sic tua Roma videret.

Prisc. XVII, 11 (p. 114): *Coniunctiones quoque copulativae et disiunctivae esse dinoscuntur ab aliis partibus orationis, quae eis sociantur, ut ‚vel, aut' non solum disiunctivae, sed etiam copulativae reperiuntur, ut Terentius in Eunucho* (III, 1, 7 sq.)

vel rex semper maximas
Mihi gratias agebat quicquid feceram; aliis non item

pro ‚et rex'. Vergilius in IV Aeneidos (v. 62)

Aut ante ora deum pinguis spatiatur ad aras

‚aut' pro ‚et'.

Prisc. XV, 18 (p. 74): *In l pauca inveniuntur: ‚semel, pol, edepol'. ‚vel' etiam coniunctio pro ‚valde' frequenter invenitur. Cicero pro Murena* (14, 31): *vel maximum bellum populum Romanum cum rege Antiocho gessisse.*

Prisc. XV, 39 (p. 89): *Et manifestum est, quod aptius quidem praeponuntur (sc. adverbia), quomodo adiectiva nomina, ut ‚bonus homo bene agit, fortis imperator fortiter pugnat'. Licet tamen tam haec quam illa praepostere proferre, exceptis monosyllabis quidem omnibus, ut ‚non, ne, dum, cum' temporali, ‚per' quod adverbium est, quando affirmationem significat, sicut etiam ‚vel', cum pro ‚valde' ponitur.*

Prisc. XVI, 10 (p. 99): *‚at' quoque pro ‚saltem' et ‚vel' et ‚aut' invenitur. ... et ‚si non vis ediscere, vel*[1]*) intellege' pro ‚saltem intellege'; similiter ‚si non factis debitum reddis, aut verbis age gratias' pro ‚saltem verbis'.*

Prisc. XVIII, 171 (p. 286): *γὲ coniunctionem illi et pro γὰρ et pro γοῦν ponunt, quomodo et nos ‚at' et ‚vel' et ‚aut' pro ‚et' et pro ‚saltem'; ‚vel' autem etiam pro ‚valde' invenitur.*

In additamento, quod multi codices ante libri decimi septimi exordium exhibent (p. 107):

ut ‚vel' pro ‚velut'. Horatius in II sermonum (8, 29 sq.)

Ut vel continuo patuit cum passeris atque
Ingustata mihi porrexerit ilia rhombi

---

1) Cf. infra p. 9.

quae verba ex Prisciani sapientia scholastica sumpta esse non possunt; ille enim secutus analogiam eorum locorum, quos supra exscripsi, hic quoque *vel* pro *et* positum esse edixisset.

Prisc. XVI, 5 (p. 96): *‚ne' quoque, quando ἵνα μή significat, coniunctio est causalis, ut Vergilius in II Aeneidos* (v. 187 sq.)

Ne recipi portis aut duci in moenia possit,
Neu populum antiqua sub religione tueri

et nota, ‚aut' quoque et ‚neu' hic pro copulativis esse coniunctionibus.

Sequuntur iam reliqua grammaticorum testimonia. Diomedes (tom. I K. p. 417):

De aut coniunctione.[1])

Aut coniunctio dubitativam, si geminetur, habet potestatem. Qui enim dicit ‚aut librum volo aut pretium', utrumque ex aequo desiderare significat, ut illis (Aen. II, 36—38)

aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
praecipitare iubent s. i. u. f.
aut terebrare cavas uteri e. ⟨t.⟩ l.

aut, si semel subiciatur, diminutiva est et gradum habet ad inferiora tendentem, ut cum dicimus ‚librum volo aut pretium'; ut si liber, quem potissimum volo, minime reddatur, tum quod secundum est, vel[2]) *pretium. Ut* (Aen. I, 69—70)

Incute vim ventis ss. o. p.
Aut age diversas

nam furens Iuno et irata quod gravissimum credebat optavit, deinde quod secundum intulit. Huius coniunctionis qualitates sunt multae. Modo comminativa est, cum dicimus ‚aut da mihi aut rapio' ut (Verg. ecl. VII, 21 sqq.)

Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen
Quale meo Codro, concedite; proxima Phoebi
Versibus ille facit; aut, si non possumus omnes ...;

modo hortativa est ita (Aen. IX, 495) *‚aut tu magne pater divum miserere' ut est dictum et illud* (Aen. V, 691)

Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte;

---

1) Cuius loci de fontibus cf. Jeep Mus. Rhen. t. 51, p. 418.

2) Cf. infra p. 9.

Modo coniunctiva pro ‚et' ut (Aen. I, 414)

Molirive moram aut veniendi poscere causas

et pro ‚que' ut (Georg. I, 410)

liquidas corvi presso ter gutture voces
Aut quater ingeminant

pro ‚ter quaterque'. Modo pro separativa[1] *ut* (Aen. I, 434)

Aut onera accipiunt venientum aut agmine facto

item (Aen. IV, 62)

Aut ante ora deum pinguis s. a.

modo fundit modo spatiatur; *item* (Aen. XII, 329)

Semineces volvit multos, aut agmina cursu
proterit et raptas fugientibus ingerit hastas.

Dosithei ars grammatica (VII p. 423), quae magnam partem ad verbum cum Diomede consentit, ita tamen, ut saepius aliquid omiserit:

Aut coniunctio dubitativam, si geminetur, habet potestatem. Qui enim dicit ‚aut librum volo aut pretium' utrumque se ex aequo desiderare significat, ut in illis (Aen. II, 36)

aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
praecipitare iubet subiectisque urere flammis
aut terebrare cavas uteri et temptare latebras;

aut, si semel subicitur, diminutiva est et habet gradum ad inferiora tendentem, ut (Aen. I, 69—70)

Incute vim ventis submersasque obrue puppes
aut age diversas et disice corpora ponto;

nam furens Iuno et irata quod ⟨gravissimum credebat optavit, deinde quod⟩ secundum intulit. [coniunctionis tantum] modo comminativa est ‚⟨aut⟩ da mihi aut rapio' ut (ecl. VII, 21 sqq.)

Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phoebi
Versibus ille facit; aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

Modo hortativa, ut ‚aut tu magne ⟨pater⟩ divum miserere' et illud (Aen. V, 691)

---

1) Cf. infra sub cap. IV.

Aut tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, dimitte.

Modo coniunctivà pro ‚et' (Aen. I, 414)

Moliri aut moram aut veniendi poscere causas

et pro ‚que' ut (Georg. I, 410) *‚liquidas presso ter gutture voces corvi aut quater ingeminant' pro ‚quaterque'. Modo pro separativa* (Aen. I, 434)

Aut onera accipiunt venientum aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent.

(Aen. IV, 62)

Aut ante ora deum pinguis spatiatur ad aras

modo fundit modo spatiatur. (Aen. XII, 329)

aut raptas fugientibus ingerit hastas.

Pars quoque Augustini regularum (V p. 521) quae huc pertinet, ex eodem vel simillimo fonte exhausta esse videtur. Ibi haec quidem leguntur:

Item aut coniunctio multa significat. Modo enim pro adverbio discretionis accipitur, ut (Aen. VII, 162)

Ante urbem pueri et primaevo flore iuventus
Exercentur equis domitantque in pulvere currus
Aut acris tendunt arcus aut lenta lacertis
Spicula contorquent

modo pro temporis significatione ut (Aen. IV, 62)

Aut ante ora deum pinguis spatiatur ad aras

id est ‚nunc ante ora deum pinguis spatiatur ad aras'; item (Aen. XII, 329)

aut agmina curru
Proterit aut raptas fugientibus ingerit hastas.

Editionis Keilianae tom. VIII, qui supplementa continet, p. 57 et 169 sex disiunctivae particulae nominantur: *aut, ve, vel, ne, nec, neque*; et p. 156 legimus: *Disiunctivae, quae verba disiungunt, sed sensum copulant, ut est ‚aut'. Nam quando dico ‚aut ego aut tu' verba quidem disiuncta sunt, ⟨sensus tamen copulatur⟩. Nam qui dicit ‚ego aut tu', non dicit ‚utrique eamus', sed ‚unus e duobus'.*

Denique artius inter se coniungendi sunt et Probi locus quidam et Cledonii, quos ambo eundem auctorem exscripsisse

planum est. Quem utrumque locum totum hic me ponere opus est, ut iudicari possit, quomodo alia ex aliis nexa et omnia inter se colligata sint, prohibeamque ne partes ex contextu ereptae falso intellegantur.

Probi instituta artium (IV p. 145):

Sane sunt aliquae coniunctiones, quae et aliarum partium orationis habeant significationes; et ideo subiciemus earundem rationem, qua intellegantur, quando sint coniunctiones vel quando aliis partibus orationis inveniantur respondere. Sunt autem numero novem hae. ‚que', si post qu e litteram habeat tantum, erit coniunctio, ut ‚que'; si vero ae, erit pronomen, ut ‚quae'. ‚at', si per t litteram scribatur, erit coniunctio, ut ‚at'; si vero per d, erit praepositio, ut ‚ad'. ‚aut', si sine adspiratione scribatur et in t litteram exeat, erit coniunctio; si vero ‚haud' cum adspiratione scribatur et in d litteram exeat, erit adverbium. ‚ve', si parti orationis subiungatur, erit coniunctio, ut apud Vergilium (Aen. I, 593)

Pariusve lapis circumdatus auro.

Si vero ‚ve' parti orationis praeponatur, erit interiectio vel adverbium. Sed quando sit ‚ve' interiectio vel quando adverbium, iam in interiectione satis tractabimus. ‚ne', si subiungatur, erit coniunctio, ut apud Vergilium (Aen. I, 37)

mene incepto desistere victam;

si vero ‚ne' praeponatur, erit adverbium, ut apud Vergilium (Aen. II, 48)

ne credite Teucri,
Quidquid id est.

Item ‚ne' si gravem accentum habeat, erit coniunctio, ut puta (Aen. I, 132)

Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?

Si vero ‚ne' acutum habeat, erit adverbium, ut puta: ne credite Teucri, quidquid id est. ‚quoque', si non ad ablativum casum respondeat, erit coniunctio, ut apud Vergilium (Aen. VII, 1)

Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix.

Si vero ‚quoque' ad ablativum casum respondeat, erit pronomen, ut puta ‚a quoque'. ‚porro' si ‚verum' significat, erit coniunctio, ut puta ‚porro autem'; si vero ‚porro' ‚longe' significat, erit ad-

verbium, ut puta ‚porro hinc ad stadia mille'. ‚quando' si ‚quatenus' significat, erit coniunctio, ut puta ‚quando hoc tibi placet, factum puta'; si vero ‚quando' tempus significat, erit adverbium, ut puta ‚quando erit ista res, fiat'. ‚quamquam' si non ad accusativum casum respondeat, erit coniunctio, ut puta ‚quamquam patres conscripti'; si vero ‚quamquam' ad accusativum casum respondeat, erit pronomen, ut puta ‚hanc quamquam'.

Cui loco respondet Cledonii ars t. V p. 74:

Nam et coniunctiones pro aliis coniunctionibus: veteres frequenter coniunctiones pro coniunctionibus ponebant [et causales pro rationalibus], ut ‚subiectisque urere flammis' (Aen. II, 37) *pro ‚subiectisve', copulativa pro disiunctiva [ut prius]. ‚ne' iuncta coniunctio est, separata adverbium, ut* (Aen. IX, 114) *‚ne trepidate m. T'. ‚at' per t coniunctio est, per d praepositio. ‚aut' si sine h aspiratione et in t exit, coniunctio est; si vero cum h aspiratione et in d exit, adverbium. ‚ve' iuncta coniunctio est, separata interiectio est. ‚Vel' separata adverbium est, iuncta coniunctio est et gravem accentum in coniunctione habet, in adverbio acutum. ‚quoque' si ablativo casui non respondeat, coniunctio est; si ablativum habuerit, pronomen ut ‚a quoque'. ‚Porro' si ‚vero' significat, coniunctio est; si ‚longe', adverbium temporis. ‚Quando' si ‚quatenus' significat, coniunctio est, si dicam ‚quando hoc tibi placet'; si vero tempus, adverbium est, ut ‚quando venit'. ‚Quamquam' si accusativo non respondeat, coniunctio est, ut ‚quamquam patrės conscripti'; si accusativo responderit, compositum pronomen est, ut ‚quamquam iustitiam'. ‚ce' etiam ornativa coniunctio est, ut ‚illece', et ideo coniunctio est, quia postponitur.*

Quae praecepta quamvis omnia fere obscura et abstrusa oracula nobis esse videantur, quae neque a nobis plane intelleguntur neque ab ipsis, qui cantarunt, penitus percepta esse possunt, imprimis miramur apud Cledonium *vel* separatum et *vel* iunctum discerni. Quae distinctio tam mira est eaque, quae ex litteris comperta habemus, adeo invertit, ut quod locos amplissimos Probi et Cledoni plenos exscripsi, veniam mihi paratam fore sperem. Quid enim sibi vult *vel* separatum et *vel* iunctum? Nescio an Cledonius ille ipse ad hoc rogatum re-

spondere potuerit. Quod enim iunctum est, eodem modo quo enclitica *ve* et *ne* voci cuidam subiungatur necesse est. Quomodo autem talem *vel* particulae fortunam nobis fingamus? Itaque aliam viam ingrediamur et errorem vel auctoris vel, quod verisimilius est, apographi irrepsisse statuamus. Nam si seriem earum vocum, quas et Probus et Cledonius tractaverunt, inspicimus, hanc Probi

que at aut ve ne quoque porro quando quamquam

hanc Cledoni invenimus

que ne at aut ve vel quoque porro quando quamquam ce.

Cledonius igitur *ne* secundo loco posuit quavis de causa; cum deinde ad illum locum perventum est, quo illa ars quam imitatur aut excerpit *ne* praebuerat, nescio qua via *vel* illabitur et *ne* particulae hereditatem relictam libenter recipit; sic quae de *ve* dicta erant, ad *vel* perperam translata sunt. Mirum enim est, quod etiam duo accentus qui apud Probum illi *ne* attributi sunt, apud Cledonium ad *vel* cesserunt. Equidem credo hac explicandi ratione difficultatem, cui nos occurrimus, e medio sublatam esse.

Quae grammaticorum latinorum praecepta, cum postea in singulis partibus commentarioli mei ad ea provocaturus sim, quotiescumque ex eis aliquem fructum ad nostram rem capere poterimus, hoc loco non amplius turbo, nisi quod hoc unum praemonendum esse censeo, neminem eorum in usu priorum temporum exquirendo operam navasse (excepto auctore additamenti illius ante decimum septimum Prisciani librum nobis servati), sed omnes suam loquendi consuetudinem in antiquorum scriptorum sermonem explicandum temere transtulisse. Quae cum ita sint, ne adumbratum quidem invenimus, quantum inter *vel* et *aut* notionem discrepet, quia ipsi tum utraque particula promiscue utebantur. Ut unum porro exemplum addam et in clara luce ponam, eius notionis, quam Priscianus[1]) et *vel* et *aut* vindicat, ut idem significet quod *saltem* (ea ratione qua formatum est exemplum: *si non vis ediscere, vel intellege*) prioribus temporibus, quantum ego perspicio, vestigia non inveniuntur.

1) Cf. p. 3; itidem Diomedes p. 4.

Sed haec in quieto relinquamus et ad hilariorem conspectum oculos advertamus. Et primum quidem ex glossariis inferioris aetatis vilioribusque duos locos afferam. In glossis Vergilianis (corp. gloss. lat. t. IV p. 431) legitur: *aut quid] quidve*, quo nihil lucramur. In magno autem thesauro c. Vaticani 3321 (ibid. p. 190) haec exstant: *vels statim vel modo.* Illud *vels* manus ut videtur prima in *vel* correxit; cod. Cassinensis eiusdem glossarii testis potius ita: *vel statim modo.* Quo loco primum grata est interpretatio *modo* et *statim*, quia usum Plauti genuinum praestat; sed hac de re postea dicemus. Deinde vero quam maxime mira illa scriptio *vels*, qualem formam grammatici nostri per coniecturam antiquissimam fuisse statuerunt; et hac quoque de re infra disputandum erit. Moneo autem, quod ad manum est, illud *vels* in glossario mero errore librarii per dittographiam ortum esse posse; sequitur enim s littera vocis *statim.* Denique valde miraremur, si in tali glossario tam obsoleta forma, quam ignorat tota antiquitas, nobis esset servata.

Superest aliud idque gravius. Prospere enim accidit, quod in Pauli excerptis pauca saltem verba de disiunctivis particulis diem tulerunt. Legimus ibi s. v. *vel* p. 561, 33 P.:

Vel colligatio quidem est disiunctiva, sed non earum rerum, quae natura disiuncta sunt, in quibus aut coniunctione rectius utimur, ut: aut dies est aut nox, sed earum, quae non sunt contra, e quibus quae eligatur, nihil interest, ut Ennius (Bährens p. l. fr. fr. 376)

Vel tu dictator vel equorum equitumque magister
Esto vel consul.

Quo loco valde dolet quod Festus deest, nedum Verrium pretiosissimi operis auctorem redivivum ex Orco emergere velim; quod si tamen accideret, accuratius sciremus, quid vetustiores grammatici de vi et significatione utriusque particulae tradidissent. Certe agnoscimus iam illis temporibus viros doctos hac in quaestione, quae ad *vel* et *aut* distinguenda pertinet, versatos esse neque me pudet, cum talis ducis nomine gloriari possim, in eadem re debiles et adhuc inexpertas vires exercere.

Quantum vero intersit inter Prisciani et Verri scientiam, liceat mihi uno specimine illustrare. Uterque enim, ut sen-

tentiam suam comprobet, eodem exemplo usus est; Priscianus (supra p. 2) legitimum esse dicit: *vel dies est vel nox*, Verrius potius ita: *aut dies est aut nox.* Uter a partibus optimorum auctorum stet, examinare supervacaneum est. Sane quidem exiguae Verri reliquiae sinceram et probam latinitatem redolent.

II. De *aut* et *vel* particularum etymologia.

Aut particulam non solum apud Romanos invenimus, sed Osci nobis *avti* vel *avt*, Umbri *ote* vel *ute* praebent (cf. Buecheleri lex. Ital. p. VI). *ĭ* in fine vocis Osci partim servaverunt, partim oblitteraverunt, ita ut Bantiae quae sic ortae sunt diversae formae disiunctionis diversis notionibus responderent, cum *avti* id quod latinum *aut*, *avt* quod *autem*, *at* significaret. Contra Capuani *avt* solum usurpabant, quod et pro *aut* et pro *autem*, *at* ponere solebant. Quod vero ad ceteras Oscorum civitates attinet, monumenta nobis non nisi *avt* exhibent, ita ut semper *autem*, *at* significet. Denique Umbrorum particula fuit *ute* vel *ote*, in qua *e* littera sic explicatur, ut ex *i* attenuata sit (cf. v. Planta, Gramm. d. osk.-umbr. Dialekte II p. 465). Quae cum ita sint, concludere licet vocem hanc Italorum gentibus communem fuisse, quam quisque deinde sermo propriae enuntiandi consuetudini accommodavit.

De etymologia huius particulae haud male Lindemannus de adverb. III p. 8, quem citat [1]) Handius in Turselino I p. 525, ita disputavit:

»*aut* cognatum est cum particula *autem* respondetque Graecorum *αὖ* et *αὖτε*. Proprie igitur *aut* et *autem* significat *rursum*, *iterum*, quod quomodo cohaereat cum illa disiunctiva notione, quae inest particulae *aut*, et illa oppositiva, quam habet *autem*, ei non mirum videbitur, qui reputaverit, quoties Latinorum *aut* vim habeat oppositivam, quoties Graecorum *αὖ* et *δ' αὖ* pro *autem*, *vero* dicatur, et quantopere et forma et notione coniuncta sint Germanorum *wieder* et *wider.*«

---

1) Handii his de verbis iudicium et eius t paragogicum, quod statuit graecae formae *αὖ* additum esse, ita ut *aut* exortum sit, hic indicare quam repetere malo.

Quomodo *au* syllaba ex iterativa significatione in oppositivam vel disiunctivam transferri potuerit, fusius Kuehnerus exposuit de *autem* disputans (ausführl. Gramm. d. lat. Sprache II p. 697).

Aut igitur compositum est ex syllaba *au* (cf. graecum *αὖ*) et demonstrativa terminatione *-ti* locum indicanti, eodem modo quo *avt* vel *avti* Oscorum et *ote* vel *ute* Umbrorum, et simili ratione formatum qua *autem*. Litteram *i* in fine vocis primum in enuntiando, deinde etiam in scribendo deletam evanuisse ille ignoscet, qui meminerit idem *eti* quoque colligationi accidisse (cf. graecum *ἔτι*), quae in *et* deminuta est.

Vel autem quod non nisi Romani usurpabant, argumento est Romanos tum demum, cum a ceteris Italis se segregassent et suum sibi sermonem formarent, hanc vocem in particularum usum traduxisse.

Cuius particulae naturam atque primam vim Buechelerus primus sagaciter cognovit, qui mus. Rhen. t. 36 p. 239 *vel* imperativum esse contendit eodem modo formatum quo *fer.*[1]) Qui postquam ceteris viam demonstravit atque aperuit, iter pergere et ad finem perducere haud ita difficile erat. Duo autem proximi, qui hanc quaestionem tractaverunt, Brugmannus et Osthoffius, viam iam stratam atque tritam cum sprevissent et suas sibi semitas sumpsissent, in tenebras reverterunt. Brugmannus enim *vel* priscum iniunctivum *vels* fuisse contendit et Osthoffius fieri posse putat, ut ex *velsi* ductum sit. Has interpretandi rationes refutavit Skutschius[2]), usus atque nixus animadversione quadam eiusdem Buecheleri, qui mus. Rhen. t. 46 p. 238 explicaverat eius rei, quod *ter* antiquitus exiisset in *s* (cf. graecum *τρίς*) testimonium esse et *terruncii* geminatum *r*

1) Quod idem vir doctissimus *vel* ex optativo *velis* *s* et *i* litteris extrusis nasci potuisse concedit, valde miror. Quamvis enim Umbrica particula *heriei*, quae eandem vim atque *vel* praebet, ex optativo derivata sit, verbi *velis* producta altera syllaba vix interciderit.

2) Disputarunt hac de re: Brugmannus M. U. 3, 9 sq. et Grundr. II, 903. 1307; Osthoffius mus. Rhen. t. 36 p. 486 adn.; Skutschius, Forschungen z. lat. Gramm. I, 55 sq; Solmsenus, Stud. z. lat. Lautgesch. p. 4 sq.

ortum illud ex *rs* et syllabam *ter* positione productam in versu Bacchidum 1127:

Rerín ter in ánno tu has tonsitari?

Quam rationem cum ad particulae *vel* naturam declarandam transferret, Skutschius conclusit *vel* ex *vels* derivari non posse; prisci enim illius *s* nullum nobis indicium servatum esse, sed omnibus eis locis, quibus *vel* apud Plautum usurpatum esset (adfert exempli causa Amph. v. 917: *Ridículi causa. Vĕl hŭnc rogáto Sosiam*; Curc. v. 611: *vĕl ĭn chlámydem*; Most. v. 410: *vĕl ŏptumo* [versus interpolatus est]; Poen. v. 827: *vĕl ĭn lautúmiis vĕl ĭn pistrino*; Stich. v. 619: *vĕl ĭnter*), metrum postulare, ut *vel* pro brevi syllaba staret; exceptis duobus corruptis versibus Bacch. v. 902 et Rud. v. 1401. Brugmannum autem non induxit, ut de sua interpretatione desperaret. Qui potius in illis ipsis duobus versibus, quos Skutschius corruptos esse et ad quaestionem evolvendam nullius momenti dixerat, digitum imposuit eisque usus est, ut suam sententiam comprobaret. Versus, qui pugnam excitaverunt, sic traditi sunt:

Bacch. v. 902:

Abeo ad forum igitur. — Vel hercle in malam crucem.

Rud. v. 1401:

Vapulabis, verbum si adde istuc unum. — Vel hercle enica

quem versum Brixius ad sensum et contextum aptissime emendavit proponens: *si addes unum.* Quam lectionem optimo iure in editiones nostras recipimus.

Solmsenus, qui usque ad hoc temporis postremus hac in re versatus est, Brugmanno duo argumenta opposuit: primum in illis duobus versibus pro *vel* restituendum esse *vel tu*; omnes enim alios locos, quibus de quantitate particulae *vel* iudicare possimus, brevem syllabam postulare. Ad eos versus, quos iam Skutschius enotavit, tres addit, Curc. 483: *vel lanium vĕl hărúspicem*; Bacch. 1042: *vĕl ŭt aúrum perdas*; Capt. 370: *vĕl ĕgo húc.* Deinde quod gravissimum, semper *vĕlut* inveniri, cum *terruncii* analogiam secuti *vellut* exspectemus, si *vel* de *vels* derivatum sit.

Alterum argumentum optime mihi allatum esse videtur.

De primo autem valde dubito. Dum enim omnia Plautina *vel* perscrutor, incidi in versum Aululariae 831:

Itá loquor —. At scin quomodo? — Vel hercle enica.

Nonne mirum est hoc quoque loco vocem *hercle* particulam insequi? Habes

Vel hercle in malam crucem
Vel hercle enica
Vel hercle enica.

Itaque licet mihi hoc loco Birtii sententiam adferre, de qua propediem publice disputabit cuique libenter adstipulor, scilicet litteram *h* in prisca re metrica et hiatum sustulisse et positionem effecisse. Id certum mihi est litteram *h* in causa esse, si tribus his locis neque alibi vocis *vel* producta mensura comparet. Ceterum in Aululariae versu *quomodo* aut tribrachys est (cf. Birt Mus. Rhen. 51, 106) aut *quo modo* scribendum, ut *modo* pro pyrrhichio accipiatur.

Habeo vero etiam aliud productae voculae *vel* exemplum, quod Birtius mihi benigne suppeditavit. Legitur enim in Didus epistula (anth. lat. 83, 119 ed. Riese):

Numquam damna volo. Vel hoc mihi, perfide, redde.

Nescio num hoc quoque exemplo abuti velint grammatici hodierni. Certum est etiam hic subsequi *h* consonantem, estque haec aetas saeculorum IV—VI, qua *h* littera rursus in densum sonum transiit totamque consonantis vicem praestitit. Notae sunt ex Sedulio vel Aratore mensurae ut *vir humilis* choriambicum, *bis habitum* item (cf. Luc. Mueller de re metr. p. 391 ed. II); et exstat in eadem Didus epistula v. 89 ita conformatus:

Corda ligavit amor. Quis tantum in hospite vellet.

Fateor his consideratis eo facilius me Birtio duce in Plautinis exemplis positionem agnoscere, quam *h* littera efficit.

Itaque in recta illa via perseverandum esse videtur, quam Buechelerus demonstravit: *vel* esse alteram personam imperativi a verbo *velle* derivati. Huc accedit, quod huius eiusdem imperativi, qui littera *e* in fine caret, Umbri quoque reliquias servaverunt, quorum in inscriptionibus *veltu* traditum legimus, quam vocem Buechelerus in Umbricis p. 167 per *eligito* explicat.

Ceterum valde miror quod nemo dum ad glossarium illud

attendit, quo nobis *vels* pro *vel* offertur (cf. supra p. 10). Quam quidem scripturam ego ex simplici librarii errore natam esse existumo eumque exspecto, qui in tali glossa ipsam antiquissimi imperativi formam servatam esse sit sustentaturus. Certe ibi in altero codice purum putum *vel* sine *s* exhibetur.

Denique concludimus *vel* primo nihil aliud valuisse atque imperativum verbi *velle*, deinde vero in particularum catervam paulatim irrepsisse atque priscam vim magis magisque amisisse. Quod quomodo factum sit ut demonstrem, spero fore ut mihi contingat.

III. De *vel* tesserae lusoriae inscripto.

Sententia illa qua censemus *vel* esse priscum imperativum aut fallor aut mirum in modum iuvatur atque fulcitur monumento antiquo, quod quamvis parvum ad hanc quaestionem explicandam maximi momenti erit. Agitur enim de una ex illis tesseris osseis vel eburneis, quas Huelsenus (Mitth. d. röm. archäol. Inst. 1896 p. 228—237) una publicavit et illum secutus Buechelerus (Mus. Rhen. t. LII p. 392 sqq.) breviter retractavit. Quae tesserae in aversa parte unum ex eis numeris, qui inter I et XXX intersunt, praebent, nisi quod semel etiam LX invenitur, in adversa vocem quandam vocesve impressas, quas ex litterarum ordine dispositas enumero:

amator (ter occurrit), *argute* (ter), *arpax* (quater), *audax* (semel), *benigne*[1] (semel), *benignus* (bis), *cinaidus* (semel) et *cinaedus* (semel), *cunilinge* vel *cunulinge* (bis), *cunnio* (semel), *ebriose* (ter), *facete* (quater), *fatue* (ter), *felix* (bis), *ficose* (semel), *fortunate* (semel) et *fortunat* (semel), *fur* (quater), *fur r || de* (semel; quod Buechelerus rectissime explet in *redde*), *fuuco* (sic bis), *gaudesne* (bis), *gulo* (semel), *gumia* (bis), *inpudes* (semel), *lupa* (ter), *malest* (semel), *moice* (bis) et *moece* (semel), *moraris* (semel), *mula* (bis), *nugator* (bis), *patice* (bis) et *patice n* (semel),

1) In hac tessera, quam Huelsenus sub numero 21 affert, *pr. dat* ab interpolatore quodam posterioris aevi additum esse idem affirmat Huelsenus.

pernix (quinquies), *piger* (semel), *stumacose* (semel), *trico* (semel), *tube* (semel), *vapio* (sexies), *vappa* (semel), *vel* (semel), *verecund* (semel), *vinose* (semel), *vix rides* (bis). Huc accedit tessera quaedam aliter formata, cui inscriptum est *exorat* (cf. l. d. p. 234 adnot.).

Quarum tesserarum ad interpretationem qua via pervenerit Huelsenus, hoc loco iterum tractare longum est. Ne multa, suspicatus est, id quod Buechelerus haud sine veritatis specie dictum esse affirmat, harum tesserarum usum fuisse in ludo latrunculorum, qui alio nomine fortasse mora vocabatur. Cardo enim totius ludi in ea re versabatur, ut alter lusorum tesseris suis alterius calces undique includere et mora allata ad incitas redigere conaretur.

Quod si nobis has tesseras ita adhibitas esse fingimus, non sine iucunditate intellegimus, quid sibi inscriptiones illae supra enumeratae velint. Audimus enim quasi dialogum lusorum, qui se modo contumeliis insequuntur, modo laudibus efferunt, modo minantur, modo cohortantur. Saepissime nomina leguntur, rarius verba; cf. illud *vix rides*, *fur redde*, *gaudesne*, *moraris*, *malest*, *exorat*. Ecce proclamat etiam alter: *Vel!* Mirati obstupescimus; nam quem locum hic habet *vel*, tali comitante caterva?

Buechelerus confert vocem *pernix*, quae quinquies invenitur, neque dubitat, quin *vel* mancum sit et explendum in *velox*. Sed haec adiectio mihi speciem veritatis prae se ferre non videtur, neque enim causam idoneam viro egregio paratam esse censeo, cur operarium hanc unam ex omnibus vocem eamque quinque litterarum ambitum non excedentem per talem breviationem scripsisse iudicet.

Nam excepto *patice n*, quod quomodo intellegendum sit mihi obscurum est, duae tantum voces non plene perscriptae sunt neque vero nisi una littera carent: *verecund* et *fortunat*. Quod non temere factum esse plane elucet; nam quia spatium tot litteras usque ad finem inscribere conanti deficiebat, neque sensum perturbari posse neque sibi crimini fore putavit, si extremam litteram intercidere sineret. Quare autem *velox* in *vel* abbreviatum esse nobis fingamus? Quin etiam asterisco ap-

posito Huelsenus se tesseram illam suis oculis inspexisse significat. Itaque neque apographon imperiti cuiusdam hominis errasse neque calcis partem dexteram praefractam esse credere licet. Quae cum ita sint, causam illius detractionis quam afferam non habeo. Immo cogimur nos continere in eis quae traditae sunt litteris, iisque contentus sum, quippe quae sensum satis aptum praebeant, atque censeo purum atque putum imperativum *vel* hac tessera usque ad nostram aetatem servatum esse. Quae significatio ad ludum latrunculorum aptissima est, nam cum aliam tesseram conferimus, cui *moraris* inscriptum est, *vel* sic fere intellegere licet: *si placet*, *cie calcem*, *moram excute.*

Hoc igitur est illud *vel*, quod apud Plautum deprehendemus. Quin etiam confido me in Plauti comoediis versum unum invenisse, quo *vel* ferme eodem modo in ipso ludo aleae citatur. Agitur de Curc. v. 611, ubi Curculio parasitus militem his verbis in aleam provocat:

Si vis tribus bolis, vel, in chlamydem;

ad quem versum Gronovius Taubmanni verbis adnotat: *tribus bolis i. e. talorum iactibus. In chlamydem*] *scil. paratus sum ludere.* Ussingius interpretatur: *Age*, *inquit*, *si aleam somno tuo interruptam continuari vis*, *paratus sum. Tres faciemus bolos sive iactus* (cf. Rud. 360). *Vel i. e. exempli causa chlamydem tuam opponas.* Quam Ussingi sententiam ne sequamur, prohibet nos, puto, loquendi usus; nam cum iuris consulti dicere soliti sint *in pecuniam ludere*, ad Plauti sermonem vulgarem mea quidem sententia propius accedit illud *de corio suo* (sive *corio suo*) *ludere* (Mart. III 16, 4. Tert. de pall. 3) et illi contrarium *ludere de alieno corio* (Apul. met. VII 11). Itaque verba illa *vel in chlamydem* alia ratione explico. Fingas tibi, quaeso, res quae in scena aguntur: miles tandem in parasitum, quem diu iam quaesivit, incidit. Curculio autem, quamvis conscius culpae, sed ut est insolens et lascivus, se aleam antea interruptam continuare velle simulans *si vis*, inquit, *paratus sum ludere. Tris bolos faciemus. Age ne mora intercedat*, *chlamydem humi sternas*, *nam tabula ad manum non est.* Ceterum quemcumque chlamydis usum statuimus, dubitari certe non potest, quin *vel* a

Plauto usurpatum eundem sensum exhibeat, quem *vel* illud tesserae inscriptum habere affirmavi: id est *incipe*, *fac iactum.* Denique ad hanc tesserulae interpretationem advoco etiam, quod in glossario vidimus supra p. 10 *vel* explicari voce *statim.* Ita enim sentio, hoc sibi velle eius inscriptionem, ut *statim* vel illico agendum esse lusor moneatur.

Fortasse aliquis miratur usque ad Caesariani imperi primum saeculum, quae aetas illas tesseras exsculpsit, *vel* sibi servasse priscam suam vim, cuius vestigia non nisi tenuia in litteris Romanis eiusdem aevi inveniuntur. Neque vero nos hic in urbano et perpolito procerum sermone versamur, sed in popularis linguae reliquiis (cf. Buechelerum l. d.). Nonne fieri potuit, ut in populari sermone modo novarum rerum cupido, modo priscarum tenacissimo antiquus imperativus *vel* sollemnibus formulis inclusus et quasi abditus viveret atque vigeret? Nimirum idem sermo secutus priscam pronuntiandi et scribendi rationem, quam usus posteriorum temporum iam dudum aboleverat, in inscriptionibus tesserarum talia servavit, qualia sunt: *moice*, *cinaidus* (cuius vocis latina terminatio *-us* demonstrat de graeca forma non cogitandum esse), *fuuco*, *stumacose*, *inpudes.* Scilicet omnino littera *h* deest neque solum *moice* legimus, sed etiam *patice* (et *arpax*). Qua omissione tesserae eum usum servaverunt, qui usque ad Mummi aetatem vel usque ad pueritiam Ciceronis valuerat. *Fuuco* autem eam geminationem ostendit, quam cum Accius induxisset, Lucilius repressisse videtur, quaque ad saeculi II a. Chr. n. finem ducimur.

Magni ergo pretii exiguum hoc imperativi *vel* monumentum osse vel ebore exactum esse dico atque dignum, quod in huius dissertatiunculae ponatur exordio.

IV. *Aut* Plautinum.

Cum de *vel* multa iam scripta sint a viris doctis, *aut* particulae usus Plautinus quantum scio paene neglectus est. Neque enim hac in re Handium satis fecisse aio, qui exempla sua in primis ex Ciceroniani aevi scriptoribus eligit, Plauti raros locos enotat. Equidem operae pretium fore spero, si omnibus exemplis collectis de Plautino usu huius particulae quaerimus,

quia tum demum, cum eius fines certis legibus circumscripti sunt, percipi potest, quam toto caelo diversam potestatem *vel* Plautinum habuerit. Enumerabo igitur iam omnia Plautina exempla ad eum modum composita, qui mihi ad rem demonstrandam videtur esse aptissimus, neque Handii dispositionem partium secutus sum, nisi si eadem materia et easdem distribuendi rationes secum ferebat. Priusquam autem ad rem ipsam accedam, breviter colligam, quae pro *aut* in codicibus mendose scripta invenimus:

ut: Amph. 409 (DE), Bacch. 80 (C), Cas. 1001 (EV), Mil. 17 (*folia ut* pro *folia aut* BCDF), Most. 466 (Z), Trin. 89 (A), Poen. 581 (pro *tragoedi aut comici* B litteris falso coniunctis *tragoedia ut comici* exhibet; quae verba CD transponunt in *ut tragoedia comici*).

at: Capt. 205 (J), 480 (F), Curc. 554 (BVE^3), Rud. 1162 (*at tu* pro *aut ite* F); rursus Mil. 881 pro *at* praebet C *aut*.

haud: Cas. 200 (V, vel $\frac{\text{haud}}{\text{aut}}$ J), Men. 583 (Da), Mil. 469 (Palatini), Trin. 862 (KAVT in A), Poen. 466 (libri praeter AF), Curc. 539 (E^3Z); *aud* Poen. 293 (B), Pseud. 834 (B); *audorminitator* pro *aut dormitator* Trin. 862 in B; *audite* pro *aut ite* Poen. 511 in BCD.

au: *aufricari* pro *aut fricari* Poen. 220 (B).

Nonnulla alia brevi interpretatione indigent: Capt. 1003 in B pro *aut coturnices* traditum est *a coturnices*, quod mendum per mediam formam *ad coturnices* (pro *at coturnices*) transiisse docet nos Mil. v. 722, ubi pro *aut cervices* BCD^1 *adcervices* praebent; eodem modo intellegendum est, quod Pseud. 834 pro *aut cataractria* D exhibet *acataractria*. Quibus exemplis nixus in Poenuli prologo v. 80 sq. archetypum haec tradidisse censeo:

Si quid aut mandare voltis aut curarier,
Argentum nisi qui dederit, nugas egerit;

codices enim BCDZ *si quid amandare* exhibent (id quod interpolator in F mutavit in *demandare*), editiones autem adhuc Sarazeni coniecturam secuti *si quid mandare voltis.* Illud si Plautus ipse scripserat, *aut* pro brevi syllaba accipiendum est, antecedit enim brevis brevians, et sic ictus ponendus: *si quíd aut mandare*, nisi *siquid* pyrrhichium statueris ut Skutschius l. d. p. 9.

Pseud. v. 71 in codicibus BCD sic scriptum legimus:

Nisi quae mihi intestavit ibi est in me salus

quod emendandum est auctore A:

Nisi quae mihi in test aut tibist in me salus;

qui error facile explicatur, si *avt* pronuntiatum esse ponimus (cf. Birt, Mus. Rhen. t. 52 suppl. p. 204 sq.).

Denique interdum *u* et *l* litterae commutantur (cf. Birt l. d. p. 80): Pseud. 1261 pro *aut* B *allant*, CD *alant*, quod ex dittographia particulae ortum esse videtur. Aliud est quod etiam litterae LI cum U confundebantur (Birt p. 204). Hinc est, quod pro *aulam* Rud. 135 CDFZ *alilam* scribunt; item Men. 771 FZ *aliquid* pro *aut quid*. Quibus exemplis mea quidem sententia coniectura quaedam Lachmanni optime fulcitur, qui Mil. versum 1130 sic traditum

Numquid videtur demutare aut utique
Dixi esse vobis dudum hunc moechum militem

hoc modo emendat (ad Lucr. p. 250)

Numquid videtur demutare alio atque uti
Dixi esse vobis dudum hunc moechum militem

nisi quod ego *alia atque uti* malim. Adhibita enim, ut saepe, synaloepha exaratum fuit *aliat*, unde *aut* factum est, sicut contraria ratione *alilam* ex *aulam*; denique *que* locum mutavit.

Huc conferenda quoque est coniectura Kiesslingi, qui Mil. v. 221, ubi codices exhibent

Anteveni et aliqua aliquos aut tu (vel autu) circumduce exercitum

sic emendat:

Anteveni aliqua, aliquo saltu circumduce exercitum.

Birtius autem (Mus. Rhen. t. 40 p. 540) cum *aut* servare studet sive

Anteveniet aliquad aut tu circumduce exercitum

sive

Antevenit aliqua aliquod aut tu circumduce exercitum

scribendum esse iudicat. Qui quamvis sententiae suae confirmandae causa exempla atque argumenta advocaverit luculenta, contra eum pugnare videtur, quod loco emendando et antecedunt imperativi per asyndeton cumulati et succedunt. Quem in imperativorum conventum Kiesslingi coniectura mea sententia aptius se applicat. Rectissime autem Birtius admonet ablativum sim-

plicem *aliquo saltu* satis non esse, desiderari *in aliquo saltu* vel *per aliquem saltum.* Itaque ad Plauti consuetudinem dicendi fortasse propius accedimus, si *anteveni aliqua aliquo saltu* coniungimus et vertimus „durch einen schnellen Sprung komme ihnen zuvor“, cf. Sisennae fragmentum (Nonius p. 502): *ali saltu ac velocitate certare.*

Sed satis diu iam de litteris egimus, quibus *aut* scriptum invenimus; animum advertamus ad sensum, quem praebet particula. Quod si rem in universum consideramus, hoc fere confirmare licet: *Aut* particula in syntaxi ad secundam personam non spectat neque *aut* apposito illi, qui appellatur, optio inter complures res datur, sed duae res discernuntur, quae per se diversae sunt vel ex sententia eius qui loquitur. Si *aut* usurpatur, is qui loquitur arbiter est optionis, cuius ad voluntatem disiunctio duarum vel complurium rerum referenda est; eius autem qui appellatur arbitratus omnino neglegitur. Contrarium accidit, si *vel* usurpatur. Quam vim in omnibus generibus, in quae particulae usus distribuendus est, inesse oportet.

§ 1. Atque primum ex magna turba locorum eos segrego, qui disiunctionis vim strictam et acrem prae se ferunt, ita ut de duobus diversis agatur, quorum si unum adhibetur, alterum locum non habet vel ex sententia eius, qui loquitur, supervacaneum est. Sequuntur exempla:

Merc. 168

Hercle vero vapulabis, nisi iam loquere aut hinc abis

stricta alternatio est, quae quid significet, nostra lingua sic fere exprimendum est: „wenn du Prügel vermeiden willst, so kenne ich nur zwei Möglichkeiten, entweder du sprichst jetzt oder du scheerst dich fort“: Acanthio ipse quid velit, Charinus non curat.

Most. 943 sq.

quid ais? an iam vendidit
Aedis Philolaches? aut quidem iste nos defrustratur senex

quo loco nos *aut* per „sonst“ vertere possumus, quod idem quadrat ad

Poen. 395 sq.

Ut tu huic irata ne sis, aut, si id fieri non potest,
Capias restim ac te suspendas.

Pers. 684 sq.

Quid ei nummi sciunt? —
Cruminam hanc emere aut facere ut remigret domum.

Pseud. 995

Nam necessest hodie Sicyoni me esse aut cras mortem exsequi.

Truc. 267 sq. (cf. Merc. 168)

Nunc adeo nisi abis actutum aut dicis, quid quaeras, cito,
Iam hercle ego hic te ... pedibus proteram.

§ 2. Eiusdem significationis, si *aut* bis ponitur, haec sunt exempla:

Amph. 782 sq.

Aut pol haec praestigiatrix multo mulier maxumast
Aut pateram hic inesse oportet.

Amph. 887 sqq.

Non edepol faciam neque me perpetiar probri
Falso insimulatam, quin ego illum aut deseram
Aut satisfáciat mi ille e. q. s.

Capt. 382

Nam pater expectat aut me aut aliquem nuntium.

Capt. 921

Nam hic quidem, ut adornat, aut iam nil est aut iam nil erit;

quam eandem verborum compositionem exhibet et Pacuvi v. 118 *aut hic est aut hic adfore actutum autumo* et Epid. 257

Nam ille quidem aut iam hic aderit, credo hercle, aut iam adest.

Capt. 981

Falsa memorat. — Aut ego aut tu.

Men. 373

Certo haec mulier aut insana aut ebriast.

Men. 1087

Illic homo aut sycophanta aut geminus est frater tuos.

Merc. 862 sq.

Non concedam neque quiescam usquam noctu neque dius
Prius profectò quam aut amicam aut mortem investigavero.

Mil. 1068 sq.

Quin tu huic respondes aliquid
Aut facturum aut non facturum?

quod enuntiatum e sententia eius qui loquitur dictum est atque ita vertendum: „meiner Ansicht nach giebt es nur zwei Möglichkeiten, entweder du thust es oder du thust es nicht. Entscheide dich!“ Dira necessitas atque urgentia verba impulsoris liberam voluntatem, ut ita dicam, e loco pellunt. Itaque hic optimo iure *aut* adhibitum est, praesertim cum sententia sit interrogativa. In interrogationibus enim *vel* locum omnino non habet, quippe quae semper eius arbitratum redoleant, qui interrogat.

Pers. 580

Atque aut hoc emptore vendes pulcre aut alio non potis.

Poen. 495 (cf. Truc. 267)

Nisi aut auscultas aut is in malam crucem.

Rud. 777 sq.

Nam promisimus
Carnufici aut talentum magnum aut hunc hodie sistere.

Stich. 130 sq.

Nam aut olim, nisi tibi placebant, non datas oportuit
Aut nunc non aequomst abduci e. q. s.

Trin. 861 sq.

mira sunt,
Ni illic homost aut dormitator aut sector zonarius.

§ 3. Quae stricta alternationis vis nusquam planius elucet, quam si *aut* cum imperativo coniunctum est. Hic illa notio comparet, quam comminativam vocabant (cf. supra p. 4). Qualia sunt haec:

Aul. 458 sq.

i, cenam coque
Aut abi in malum cruciatum ab aedibus

cuius versus sensus hic est: „Geh an deine Arbeit! Thust du das nicht, so befehle ich dir, dich zum Teufel zu scheeren.“

Curc. 612

Redde mihi iam argentum aut virginem;

alterutrum Therapontigonus sibi reddi postulat; utrum sit, assis facit, dum unum recuperet. Itaque non nisi de aestuosa eius voluntate agitur, quamvis Curculioni liceat aut argentum aut virginem reddere.

Poen. 511 (cf. Aul. 459)

Quin si ituri hodie estis, ite aut ite hinc in malam crucem.

Poen. 1414 (cf. Curc. 612)

†Leno, tu autem amicam des facito aut auri mihi reddas minam.

Pseud. 1183

Quin tu mulierem mihi emittis? Aut redde argentum;

ubi *redde* codex optimus A, *reddis* Palatini.[1])

Rud. 1162

Pergite, obsecro, continuo. — Placide! Aut ite in malam crucem.

Ad eos, qui antecesserunt, locos in universum id adnotandum est omnes imperativos, quibuscum *aut* coniungitur, aspero atque duro sono dictos esse; itaque talia imperata iratos homines decent. *Vel* autem qui ad imperativum addit, comem atque lenem se praebet, quia eius quem appellat arbitratum respicit.

§ 4. Sequitur iam particulae usus laxior et, ut ita dicam, lenior. *Aut* enim in eam significationem traducitur, ut non tam contraria disiungat quam diversa nectat. Neque ut in eis versibus, qui iam citati sunt, de gravibus rebus agitur, quarum quae eligatur summi momenti est, sed ille qui loquitur duas compluresve personas vel res componit, quarum quae eligatur nihil interest. Versus, qui huc pertinent, affero:

Asin. 267 sq.

Ubi ego nunc Libanum requiram aut familiarem filium,
Ut ego illos lubentiores faciam quam Lubentiast?

Asin. 760 sqq.

In foribus scribat occupatam esse se;
Aut quod illa dicat peregre allatam epistulam,
Ne epistula quidem ulla sit in aedibus.

Asin. 773

Ne illa minus aut plus quam tu sapiat.

Asin. 803 sqq.

Tum si coronas serta unguenta iusserit
Ancillam ferre Veneri aut Cupidini,
Tuos servos servet e. q. s.

ubi falso Reisigius pro *aut* coniecit *vel*, id quod Goetzius et Loewius incautius receperunt. Servandus hiatus, usque dum vera emendatio inveniatur.

---

1) Imperativum sustineo; ceterum cf. Leo ad Asin. 254 et plaut. Forschungen p. 273.

Asin. 870 sq. Ego censeo
Eum etiam hominem in senatu dare operam aut cluentibus.

Aul. 48
Si hercle hodie fustem cepero aut stimulum in manum e. q. s.

Aul. 85 sq.
Mirum quin tua me causa faciat Iuppiter
Philippum regem aut Dareum, trivenefica.

Aul. 791 sqq.
nunc te obtestor, Euclio,
Ut siquid ego erga te imprudens peccavi aut gnatam tuam,
Ut mi ignoscas e. q. s.

Bacch. 428 sq.
Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila,
Saliendo sese exercebant magis quam scorto aut saviis.

Bacch. 649 sq.
Non mihi isti placent Parmenones, Syri,
Qui duas aut tris minas auferunt eris.

Cas. 167
Ego hic ero, vir si aut quispiam quaeret.

Cist. 134 sq.
Quae saepe mecum mentionem fecerat,
Puerum aut puellam alicunde ut reperirem sibi.

Cist. 364 aptissime et ad sensum et ad *aut* particulae usum Seyffertus sic supplevit:
Quid ego usquam male feci tibi ⟨aut m⟩eus quisquam, id edisserta.

Men. 620 sq.
Numquis servorum deliquit? num ancillae aut servi tibi
Responsant?

Men. 827 versus corruptus:
Tibi aut adeo isti, quae mihi molestast quoquo modo.

aut adeo, quod hic significat „oder gar“, praeter hunc locum apud Plautum non invenitur nisi Amph. 169: *quo facto aut dicto adeost opus*, ubi *aut adeo* valet „oder auch nur“.

Men. 993
Nisi quidem vos vostra crura aut latera nili penditis e. q. s.

Merc. 660
Clam patrem patria hac effugiam aut aliquid capiam consili.

Mil. 721 sq.
cecidissetve ebrius aut de equo uspiam,
Metuerem ne ibi diffregisset crura aut cervices sibi.

Mil. 1225

Per epistulam aut per nuntium quasi regem eum adiri aiunt.

Most. 953

Nam nisi hinc hodie emigravit aut heri e. q. s.

Pers. 37

Quos continuo tibi reponam in hoc triduo aut quadriduo.

Pers. 339 sq. (cf. Aul. 85)

Mirum quin regis Philippi causa aut Attali
Te potius vendam quam mea.

Poen. 293

Curram igitur aliquo ad piscinam aut ad lacum.

Poen. 466

Quid ei divini aut humani aequomst credere?

Poen. 518

Nec tibi nos obnixi sumus istuc, quid tu ames aut oderis

quod ita explicandum est: neque quid tu ames, tibi obnixi sumus, neque quid oderis. *Aut* igitur ad primam personam respicit.

Poen. 581

Quin edepol condoctior sum quam tragoedi aut comici.

Poen. 1208

Id ego, nisi quid dei aut parentes faxint, qui sperem, hauscio.

Poen. 1315

Num tibi, adulescens, malae aut dentes pruriunt?

Pseud. 104 qs. recepta Goetzii lepida coniectura

Spero alicunde hodie me bona opera aut ⟨mala mea⟩
Tibi inventurum esse auxilium argentarium.

Pseud. 1240 sp.

Quam in aliis comoediis fit, ubi cum stimulis aut flagris
Insidiantur.

Pseud. 1261

Ubi mamma mammicula opprimitur aut si lubet corpora conduplicantur.

Rud. 191

Si erga parentem aut deos me impiavi e. q. s.

Rud. 196 sq.

Nam me si sciam ⟨in vos⟩ fecisse aut parentis
Sceleste, minus me miserer

si *in vos*, quod Leo supplevit, interponimus, qui conexu sermonis postulatur sensus restituitur.

S t i c h. 67

Si quis me quaeret, inde vocatote aliqui; aut iam egomet hic ero.

S t i c h. 151 sq.

Nam illum ecastor mittere ad portum volo,
Siquae forte ex Asia navis heri aut hodie venerit;

ubi Goetzius, ut hiatum tolleret, falso pro *aut* posuit *vel.* Vide infra sub cap. V.

S t i c h. 439 sq.

iubebo ad Sangarinum cenam coqui.
Aut egomet ibo atque opsonabo opsonium.

T r i n. 339

De mendico male meretur, qui ei dat quod edit aut bibat.

T r i n. 967

Mirum, quin ab avo eius aut proavo acciperem, qui sunt mortui.

T r u c. 100 sq.

quini
Aut seni adveniunt ad scorta congerrones.

T r u c. 403 sq. (cf. Cist. 134)

praemandare et quaerere
Puerum aut puellam, qui supponatur mihi.

C e s i s t i o n i s fragmentum

Dis stribula aut de lumbo obscena viscera.

§ 5. Eandem hanc significationem et *aut* b i s v e l s a e p i u s p o s i t u m inducere amat. Exstant exempla, quae sequuntur:

A m p h. 739 sq.

Sed mulier, postquam experrecta's, te prodigiali Iovi
Aut mola salsa hodie aut ture comprecatam oportuit

quod vertendum est: „es wäre deine Pflicht gewesen, eins von beiden zu thun.“ Quia autem ipsa non vult, *vel — vel* hic locum non habuit.

A s i n. 756 sqq.

Alienum hominem intro mittat neminem.
Quod illa aut amicum aut patronum nominet
Aut quod illa amicae amatorem praedicet.

C a p t. 622 sq.

At ita me rex deorum atque hominum faxit patriae compotem,
Ut istic Philocrates non magis est quam aut ego aut tu.

C a p t. 1002 sq.

Nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monerulae
Aut anites aut coturnices dantur e. q. s.

Cas. 200 sq. ei haud commodest,
Quin viro aut subtrahat aut stupro invenerit.

Cas. 337
Quis mihi subveniet tergo aut capiti aut cruribus?

Cas. 384
Num ista aut populnea sors aut abiegnast tua?

Curc. 282
Nequem in cursu capite aut cubito aut pectore offendam aut genu.

Epid. 229 sqq.
Quid istae quae vestei quotannis nomina inveniunt nova?
Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum caesicium,
Indusiatam, patagiatam, caltulam aut crocotulam,
Supparum aut subminiam, ricam, basilicum aut exoticum,
Cumatile aut plumatile, carinum aut gerrinum e. q. s.

Men. 84 sqq. traditi sunt hoc modo:
Nam se ex catenis eximunt aliquo modo.
Tum compediti anum lima praeterunt
Aut lapide excutiunt clavom;

quorum versuum sensus corruptela quadam turbatus esse mihi videtur. Adhuc viri docti non offenderunt nisi in hiatu *compediti anum*, atque Ritschelius *compediti aut anum*, alii alia proposuerunt. Mea quidem sententia conexus versuum, ita ut traditi sunt, mendosus est. Nam si in primo versu legimus captivos se aliquo modo e catenis eximere, exspectamus eis quae sequuntur explicari, quibus modis id facere conentur. Itaque mihi *tum* sine dubio delendum esse videtur, quia id, quod per *tum* additur, novam sententiam non affert, sed antecedentem quasi interpretatur. Equidem hanc lectionem commendaverim, quae hiatum non tollit — id enim meum non est —, at sensus conexum restituit:

Aut compediti anum lima praeterunt
Aut lapide excutiunt clavom.

Men. 208 sqq.
Iube igitur tribus nobis apud te prandium accurarier
Atque aliquid scitamentorum de foro opsonarier:
Glandionidam suillam, laridum pernonidam,
Aut sincipitamenta porcina aut aliquid ad eum modum;

hic Menaechmus meretrici optionem non omnino dat, sed ipse sua optata proponit. Verbis eius hic fere sensus inest: „Ich

würde zu diesem Frühstück folgende Vorschläge machen". Itaque ne hic quidem *aut* ad alteram personam refertur.

Men. 582 sqq.

Viri fraudulenti,
Qui aut' faenore aut periuriis
Habent rem paratam.

Men. 587

Aut ad populum aut in iure aut ad iudicem rest.

Men. 592

Aut plus aut minus quam opus fuerat dicto dixeram.

Men. 770 sq.

Nec pol filia umquam patrem accersit ad se,
Nisi aut quid commissi aut iurgist causa.

Merc. 3 sqq.

Non ego item facio, ut alios in comoediis
Vi vidi amoris facere, qui aut nocti aut dii
Aut soli aut lunae miserias narrant suas.

Merc. 413 sq.

ego emero matri tuae
Ancillam viraginem ... aut Syram aut Aegyptiam.

Merc. 781

Haec vassa aut mox aut cras iubebo abs te peti.

Mil. 162 sq.

Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam
Dicat e. q. s.

Mil. 607 sq.

Sed speculabor, nequis aut hinc aut ab laeva aut dextera
Nostro consilio venator adsit.

Mil. 1132 sq.

Nunc ad me ut veniat usust Acroteleutium aut
Ancillula eius aut Pleusicles;

primum *aut*, quod omittunt Palatini, A servavit[1]), alterum et in A et in Palatinis traditur. Goetzium et Schoellium ut primum *aut* delerent, alterum Ritschelium secuti in *ac* emendarent, ea causa commovisse videtur, quam refutat Leo, cum ad v. 1134 adnotat: Scilicet ex quibus uno opus fuerat, una omnes exeunt.

1) De *aut* in fine versus cf. Appuhn, quaestiones Plautinae p. 71, qui tamen Plautum *aut* hoc loco admisisse negat.

Pseud. 19

Iuvabo aut re aut opera aut consilio bono.

Pseud. 317

Aut terra aut mari aliquonde evolvam id argentum tibi.

Pseud. 831 sqq.

Nam ego cicilendrum quando in patinas indidi
Aut cepolendrum aut maccidem aut saucaptiden ...
Terrestris pecudes cicimandro condio,
Hapalopside aut cataractria.

Pseud. 1328

Si is, aut dimidium aut plus etiam faxo hinc feres;

utrum plus an minus accipiat, non in voluntate accipientis positum est, sed ex benignitate loquentis eodem modo pendet, quo totum enuntiatum ex *faxo*.

Pseud. 1330

Numquid iratus es aut mihi aut filio propter has res?

cf. quae p. 23 ad Mil. v. 1068 de interrogatione adnotavi.

Rud. 130

Ut rem divinam faciat aut hodie aut heri.

Rud. 204

Nam quam spem aut opem aut consili quid capessam?

Rud. 1017 sq.

Non probare pernegando mihi potes, nisi pars datur,
Aut ad arbitrum reditur aut sequestro ponitur.

Truc. 32 sq. (versus 33 corruptus est)

interea loci
Aut *ara aut vinum aut oleum aut triticum.

§ 6. Eius usus, quem iam exemplis demonstravi, varietates duae existunt. Atque primum *aut* particula in enumeratione adhibetur, cuius significatus duo genera sunt, quae ambo coniuncta legimus his locis:

Rud. 133 sqq.

Semper petunt
Aquam hinc aut ignem aut vascula aut cultrum aut veru
Aut aulam extarem aut aliquid

et Truc. 52 sqq.

Aut periit aurum aut conscissa pallulast
Aut empta ancilla aut aliquod vasum argenteum
Aut vasum ahenum aliquod aut electus laptiles
Aut armariola Graeca aut aliquid semper est;

quas inter multas particulas extremum *aut* significationem praebet paulo a ceteris recedentem; colligit enim quasi omnia ea, quae antea enumerata sunt, in unum atque id valet quod nostra lingua „kurz". Eodem modo *aut* usurpatur Aul. 522 sqq., ubi post longissimam seriem opificum, qui mercedem postulantes incedunt, additur:

iam absolutos censeas,
Cum incedunt infectores, corcotarii —
Aut aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat.

Illud vero *aut*, quo cumulato ipsa enumeratio pergit, germanice „bald — bald" vertendum est. Quae eadem statuenda est notio Poen. 219 sq.

Ex industria ambo numquam concessamus
Lavari aut fricari aut tergeri aut ornari

et in Sitellitergi fragmento

† fitea mihi insignis pueros pariat postea
Aut varum aut valgum aut compernem aut paetum aut brocchum filium.

Haec est illa significatio, quam Priscianus verbis *discrete utrumque esse* significavit (cf. p. 2) quamque Diomedes (cf. p. 5) appellat separativam cuiusque exempla et alia et Aeneidos I v. 434 affert, ubi *aut — aut* per *modo — modo* vertendum esse affirmat.

§ 7. Deinde is qui loquitur duas diversas res *aut* interposito copulatas sibi proponit et quasi ipse quaerit: utrum ego esse credam? Quam vim mihi exhibere videntur qui sequuntur versus:

Amph. 709

Num tibi aut stultitia accessit aut superat superbia?

Amph. fr. XII

Tu certe aut laruatus aut cerritus es.

Asin. 264

Aut mihi in mundo sunt virgae aut atriensi Saureae.

Men. 890 sq. (cf. Amph. fr. XII)

Num laruatus aut cerritust? fac sciam.
Num eum veternus aut aqua intercus tenet?

Trin. 598 sq.

Ibit istac aliquo in maximam malam crucem
Latrocinatum aut in Asiam aut in Ciliciam.

§ 8. Pervenimus iam ad eum particulae usum, qui quamvis etiam apud alios scriptores inveniatur, tamen Plauti imprimis proprius est. Qui sic fere circumscribi verbis potest: Ille qui loquitur postquam verbo quodam usus est, alterius vocabuli in mentem venit, quod ad rem significandam ei magis idoneum esse videtur, itaque alterum quasi ipse se corrigens *aut* interposito adnectit = oder ich will sagen, oder ich will mich lieber so ausdrücken. Non agitur nisi de verborum electione, sensus nullo modo mutatur, nisi forte augetur et expletur. Hic particulae usus Plautinus, quantum scio, nondum dignus habitus est, qui satis respiceretur. Est autem tritissimus in Plauti comoediis, ita ut ex omnibus locis, quibus *aut* ab eo usurpatur, dimidia fere pars sub hoc significationis genus cadat.

§ 9. Primo eos versus ponam, quibus pro verbis singulis fere idem valentia supponuntur adhibito *aut* simplice. Sunt vero hi:

Amph. 153

Qui me alter est audacior homo aut qui confidentior.

Amph. 904

Nam certo si sis sanus aut sapias satis e. q. s.

Asin. 522 sq.

Quotiens te votui Argyrippum filium Demaeneti
Compellare aut contrectare conloquive aut contui?

ubi *ve* pro *aut* positum notandum est.

Asin. 810

Sequere hac: egone haec patiar aut taceam?

quod utrumque verbum si in nostram linguam vertimus, in unum contrahendum est: „schweigend geschehen lassen". Itaque alterum membrum erit: aut patiens taceam?

Aul. 359 sqq.

Quid? impurate, quamquam Volcano studes,
Cenaene causa aut tuae mercedis gratia
Nos nostras aedes postulas comburere?

appellatur enim coquos, qui mercedem non accipit, nisi cenam paravit = oder um mich schärfer auszudrücken.

Aul. 460 sq.

facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper homine coepit rem habere aut negotium.

Bacch. 79 sq.

Quid si apud te eveniat desubito prandium aut potatio
Forte aut cena e. q. s.

Bacch. 375 sq.

ut celem patrem,
Pistoclere, tua flagitia aut damna aut desidiabula?

Capt. 307 sq.

Et quidem si proinde ut ipse fui imperator familiae
Habeam dominum, non verear, ne iniuste aut graviter mi imperet.

Cas. 260 sq.

Quia, si facias recte aut commode,
Me sinas curare ancillas e. q. s.

Cas. 623 sq.

Nescio unde auxili praesidi perfugi
Mi aut opum copiam comparem aut expetam.

Cist. 680

Non sum scitior, quae hos rogem aut quae fatigem (sc. rogando).

Curc. 23 sqq.

Numquid tu quod te aut genere indignum sit tuo
Facis aut inceptas facinus facere, Phaedrome?
Num tu pudicae quoipiam insidias locas
Aut quam pudicam esse oportet?

Men. 369 sq.

Quid mecum tibi
Fuit umquam aut nunc est negoti?

Merc. 186

Tam hercle certe quam ego te aut tu me vides.

Merc. 286

Dicam, si videam tibi esse operam (?) aut otium.

Merc. 422 sq.

Multo edepol, si quid faciendumst, facere damni mavolo,
Quam obprobramentum aut flagitium muliebre exferri domo.

Merc. 653

Quae patria aut quae domus tibi stabilis esse poterit?

Merc. 784

Non miror, si quid damni facis aut flagiti.

Mil. 307

Quid peius muliere aut audacius?

Mil. 602 sq.

Nam bene consultum consilium surripitur saepissime,
Si minus cum cura aut cautela locus loquendi lectus est.

Mil. 889

Sin bene quid aut fideliter faciundumst e. q. s.

Mil. 1411 sq.

Iura te non nociturum esse homini de hac re nemini.
Quod tu hodie hic verberatu's aut quod verberabere.

Most. 345

Num mirum aut novum quippiam facit?

Most. 581

Quid ego huc recursem aut operam sumam aut conteram?

Most. 1052

Facio idem, quod plurumi alii, quibus res timida aut turbidast.

Pers. 449

Si quam rem accures sobrie aut frugaliter e. q. s.

Pers. 453

Si malus aut nequamst, male res vortunt quas agit.

Pers. 513

Quid id ad me aut ad meam rem refert. Persae quid rerum gerant e. q. s.

Pers. 597

Ne temere hanc te emisse dicas me impulsore aut inlice:

sic A, Palatini tradunt: *suasu atque impulsu meo.*

Poen. 145

Si tibi lubido est aut voluptati, sino.

Poen. 316

Utquidem tu huius oculos inlutis manibus tractes aut teras.

Poen. 994

Quoiates estis aut quo ex oppido?

Pseud. 415 sq.

Si de damnosis aut si de amatoribus
Dictator fiat nunc Athenis Atticis e. q. s.

Pseud. 759

Quicquid incerti mihi in animo prius aut ambiguom fuit e. q. s.

Pseud. 851 sq.

An tu invenire postulas quemquam coquom
Nisi miluinis aut aquilinis ungulis?

Rud. 1004

Tu istunc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum.

Stich. 625 sq.

Di immortales, hic quidem pol summam in crucem
Cena aut prandio perduci potest.

Stich. 769

Qui Ionicus aut cinaedicust, qui hoc tale facere possiet?

Trin. 89

Haben tu amicum aut familiarem quempiam?

Trin. 95

Si quid scis me fecisse inscite aut improbe e. q. s.

Trin. 130

Quid secus est aut quid interest e. q. s.

Trin. 454 sq.

Satin tu's sanus mentis aut animi tui,
Qui condicionem hanc repudies?

Trin. 628 sq.

Si in rem tuam,
Lesbonice, esse videatur, gloriae aut famae, sinam.

Trin. 709

Quid tibi interpellatio aut in consilium huc accessiost?

Trin. 1005

Nisi qui illud tractat aut movet, mutumst, tacet.

Trin. 1128

Siquid amicum erga bene feci aut consului fideliter e. q. s.

Truc. 141 sq.

An tu te Veneris publicum aut Amoris alia lege
Habere posse postulas, quin otiosus fias?

Truc. 259

Quid tibi ad hasce accessio aedis est prope aut pultatio?

Truc. 373 sq.

Em istoc pauper es:
Plus pollicere, quam abs te posco aut postulo.

Truc. 699 sq.

Neque natust neque progignetur neque potest reperirier,
Quoi ego nunc dictum aut factum melius quam meae Veneri velim.

Truc. 930

Qui, malum, bella aut faceta's, quae ames hominem isti modi?

§ 10. Eodem munere *aut* tum quoque fungi postest, si bis ponitur.

Mil. 880

Si ea in opificina nesciam aut mala esse aut fraudulenta.

Pers. 619 sq.

Nolo ego te mirari, si nos ex te percontabimur
Aut patriam tuam aut parentes.

Rud. 211 sq.

Saltem aliquem velim, qui mihi ex his locis
Aut viam aut semitam monstret.

Rud. 842

Caperes aut fustem aut lapidem.

Plesidippum se bis posito *aut* ipsum corrigere et in lapide quem memorat enuntiati summam vim ponere ex eis quae servus refert verbis concludendum est: *Quid? ego quasi canem hominem insectarer lapidibus nequissimum?*

Rud. 1138

Quid si ista aut superstitiosa aut hariolast?

Truc. 228

Quemquam hominem attigerit, profecto ei aut malum aut damnum dare.

§ 11. Sed *aut* interposito non solum singula verba corriguntur vel singulis verbis distinctius exprimitur, quod dicendum est, sed complura quoque ita variantur, ut idem sensus exoriatur. Praeclarissimum huius usus exemplum praebent

Capt. 203 sqq.

At nos pudet, quia cum catenis sumus. — At pigeat postea
Nostrum erum, si suos eximat vinculis
Aut solutos sinat, quos argento emerit

si Spengelii palmariam coniecturam *suos* pro *vos* recipimus, quae et metrum sanat et eum conexum restituit, quem ego sensu postulari iudico. Habemus enim, si *vos* in *suos* mutamus, parallelismum membrorum perfectum: tota sententia *si suos eximat vinculis* repetitur variata *solutos sinat*, *quos argento emerit* ita, ut et praedicata *eximat vinculis* atque *solutos sinat* et obiecta *suos* atque *quos argento emerit* plane respondeant.

Similis responsio inest Mil. v. 21 sq.

Periuriorem hoc hominem si quis viderit
Aut gloriarum pleniorem quam illic est e. q. s.

ubi et *periuriorem* atque *gloriarum pleniorem* et *hoc* atque *quam illic est* iuxta pono. Itaque iam non opus erit emendationibus

Cetera exempla non eadem artis subtilitate composita sunt, in quibus non variatur nisi una notio.

Curc. 539

Ne te mi facias ferocem aut supplicare censeas

duae sententiae partes idem bis exprimunt, quod facile intellegitur, si sic supplemus: *Tu te facis ferocem, ut tibi supplicem* atque *me tibi supplicare censes, quia ferocem te facis.*

Curc. 553 sq.

Bellator, vale. —
Quid valeam? — Aut tu aegrota aetatem; si lubet, per me quidem.

quamvis hic non tantum verba varientur, sed sensus quoque mutetur, hic uersus antecedentibus aggregandus est, nam Lyco cum primum Therapontigonum valere iusserit, statim se corrigit, quasi id dicere noluerit. Quod idem cadit in Mil. v. 1248

Eo intro aut tu illunc evoca foras, mea Milphidippa

(sic Bentleius rectissime emendavit, codices tradunt: *eo intro autu illuc evocatum foras*)

et in Men. v. 516 sq.

Non tu abis, quo dignus es?
Aut te piari iube, homo insanissume.

Men. 816 sqq. affirmat Menaechmus:

Si ego intra aedis huius umquam, ubi habitat, penetravi pedem,
Omnium hominum exopto ut fiam miserorum miserrimus.

Senex respondet:

Sanun es, qui istuc exoptes aut neges te umquam pedem
In eas aedis intulisse, ubi habitas, insanissume?

Mil. 878 sq.

Stultitia atque insipientia † † haec sit,
Me ire in opus alienum aut tibi meam operam pollicitari e. q. s.

Mil. 1251

Si amavit umquam aut si parem sapientiam habet ac formam e. q. s.

Most. 34

Quid tibi, malum, me aut quid ego agam, curatiost?

Most. 178 sq.

Equidem pol vel falso tamen laudari multo malo,
Quam vero culpari aut meam speciem alios inridere.

Poen. 1063 sq.

Memoradum mihi,
Si novi forte aut si sunt cognati mihi.

P o e n. 1311 sq.

Tune hic amator audes esse, hallex viri,
Aut contrectare, quod mares homines amant?

P s e u d. 71

Nisi quae mihi in test aut tibist in me salus.

P s e u d. 112 sq.

Satin est, si hanc hodie mulierem efficio tibi,
Tua ut sit, aut si tibi do viginti minas?

quod utrumque re vera idem est, nam si viginti minae adsunt, mulier quoque paulo post aderit.

P s e u d. 539 sq.

Quid si hisce inter se consenserunt, Callipho,
Aut de conpecto faciunt consutis dolis.

P s e u d. 543 sq.

Si sumus conpecti seu consilium umquam iniimus,
Aut si de ea re umquam inter nos convenimus e. q. s.

R u d. 112 sqq.

Peculiosum esse addecet servom et probum,
Quem ero praesente praetereat oratio
Aut qui inclementer dicat homini libero;

ut secundus versus corruptus sit, Schoellii coniectura *ut qui* supervacanea est, nam *aut* hic suo loco stat.

R u d. 987 sq.

Sed tu enumquam piscatorem vidisti, venefice,
Vidulum piscem cepisse aut protulisse ullum in forum?

§ 12. Cohaeret cum significatione corrigendi, de qua iam loquor, is quoque usus, quo p o s t u n u m e x e m p l u m vel argumentum rei cuiusdam explanandae causa allatum i n t e r i e c t o *aut* a l t e r u m a d d i t u r, ubi nos dicimus „oder um ein anderes Beîspiel, einen anderen Fall anzuführen."

A m p h. 984 sqq. Mercurius magna voce postulat, ut omnes sibi e via decedant; sibi eodem modo licere populo minitari quam servo in comoediis

Ille navem salvam nuntiat aut irati adventum senis.
Ego sum Iovi dicto audiens e. q. s.

ubi falso Pylades nescio qua de causa pro *aut* supposuit *vel*; quod non fecisset, si Plautinum nosset usum dicendi.

Cas. 126 sq. sic traditi sunt:

Post autem ruri nisi tu † acervom ederis
Aut quasi lumbricus terram e. q. s.

de emendatione loci nisi multis verbis disputare non possem; itaque omitto. Hunc autem sensum statuo: „wenn du nicht einen ganzen Haufen Erbsen oder — um einen andern Fall zu setzen, eine andere Drohung zu gebrauchen — wie ein Regenwurm u. s. w.“

Epid. 22 sq.

Ubi is ergost? Nisi si in vidulo
Aut si in mellina attulisti?

Epid. 389 sqq.

quasi quid filius
Meus deliquisset med erga aut non pluruma
Malefacta mea essent solida in adulescentia

quae sunt verba eiusmodi patris, qui haud saepe in comoediis inveniatur; excusat enim omnia, quae filius peccavit, duobus argumentis: „als ob sich mein Sohn gegen mich vergangen hätte, oder — um die Sache von anderer Seite aus ins Auge zu fassen“ e. q. s.

Men. 143 sq.

Dic mihi, enumquam tu vidisti tabulam pictam in pariete,
Ubi aquila Catameitum raperet aut ubi Venus Adoneum?

Mil. 17 sq.

Quoius tu legiones difflavisti spiritu
Quasi ventus folia aut paniculum tectorium.

Most. 1149 sq.

Si amicus Diphilo aut Philemoni's,
Dicito is, quo pacto tuos te servos ludificaverit.

Rud. 508 sq.

Scelestiorem cenam cenavi tuam,
Quam quae Thyestae quondam aut posita est Tereo;

sic Nettleshipius egregie coniecit pro *anteposita est*, quod codices exhibent.

Astrabae frg. III

Quasi tolleno aut pilum graecum reciprocas plana via.

§ 13. Sequuntur ei loci, quibus *aut* non ea disiungit, quae aequum valent, sed ita adhibetur, ut oratio gradum habeat

ad inferiora tendentem (cf. Diomedes l. d.), quem nos vertimus „oder auch nur".

Amph. 169

Quo facto aut dicto adeost opus e. q. s.

(de *adeo* cf. supra pg. 25 ad Men. 827).

Amph. 519

Quid tibi hanc curatiost rem, verbero, aut muttitio?

Aul. 56 sqq.

Si hercle tu ex istoc loco
Digitum transvorsum aut unguem latum excesseris
Aut si respexis e. q. s.

Bacch. 997 sq.

Pater, ducentos Philippos quaeso Chrysalo
Da, si esse salvom vis me aut vitalem tibi.

Cas. 394 sq.

Ne a me memores malitiose de hac re factum aut suspices,
Tibi permitto: tute sorti.

Men. 857

Me quidem si attigeris aut si propius ad me accesseris e. q. s.

Merc. 145 sq.

Dic mihi, an boni quid usquamst, quod quisquam uti possiet
Sine malo omni aut ne laborem capias, quom illo uti voles?

quod vertendum est: „giebt es irgend ein Gut, das man geniessen kann, ohne irgend einen Schaden oder — ich will mich genauer ausdrücken, ohne dass man auch nur irgendwelche Umstände davon hat?"

§ 14. Idem valet *aut*, si bis ponitur, duobus locis:

Bacch. 616 sq. Nequior nemost
Neque indignior, quoi di bene faciant neque quem quisquam homo aut amet aut adeat.

Cas. 1001

Si umquam posthac aut amasso Casinam aut occepso modo e. q. s.

ubi *modo* notandum est, nam praeter hunc versum et Men. 827 et Amph. 169, ubi *aut adeo* coniunctum legimus, illius *aut* de quo agitur vis numquam ullo additamento augetur.

§ 15. Per *aut* verba vel notiones ita disiunguntur, ut oratio ad superiora ascendat. Nostra lingua idem efficimus per „oder sogar".

Amph. 271 sq.

Certe edepol, si quicquamst aliud, quod credam aut certo sciam,
Credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium.

Capt. 545 sq.

Edepol minume miror, si te fugitat aut oculos tuos
Aut si te odit, qui istum appelles Tyndarum pro Philocrate;

ad verborum compositionem confer Aul. v. 56 sqq.

Capt. 572

Tune huic credis? — Plus quidem quam tibi aut mihi.

Curc. 168

Quid vidisti aut quid videbis magis dis aequiperabile?

Men. 710 sq.

Etiamne, impudens,
Muttire verbum unum audes aut mecum loqui?

Men. 968 sq.

Ut absente ero rem eri diligenter
Tutetur, quam si ipse adsit, aut rectius.

Most. 229 sq.

Siquidem hercle vendundust pater, venibit multo potius,
Quam te me vivo umquam sinam egere aut mendicare.

Most. 923

Egone te ioculo modo ausim dicto aut facto fallere?

Trin. 206

Quod quisque in animo habet aut habiturust sciunt.

§ 16. Sed non solum verba singula vel plura per *aut* ita coniunguntur, ut alterum alterum corrigat, sed tota quoque enuntiata interrogativa, directa et indirecta, quae plerumque eandem rem bis et vario modo exprimunt, ita ut idem sensus bis oriatur. Saepius vero etiam diversa continent, si is qui loquitur re aliqua nova atque inopinata concitatus, quid primum quaerat, quid postremum nescit, itaque omnia promiscue profert. Huius quoque usus luculenta apud Plautum exempla exstant, e quibus sententias interrogativas directas primo loco pono.

Amph. 409

Quid igitur ego dubito? Aut cur non intro eo in nostram domum?

Amph. 1028

Quid me aspectas, stolide? quid nunc vis tibi? Aut quis tu's homo?

Asin. 32

Quid istuc est? Aut ubi istuc est terrarum loci?

Asin. 47 sqq.

Cur hoc ego ex te quaeram? Aut cur miniter tibi,
Propterea, quod me non scientem feceris?
Aut cur postremo filio suscenseam,
Patres ut faciunt ceteri?

quarum trium quaestionum sensus una facillime comprimitur: cur ego faciam, quod ceteri patres faciunt? Ceteri enim patres in comoediis ex servis quaerunt, num filius amet, eis minitantur, filiis suscensent. Unum igitur argumentum in partes quasi secatur.

Aul. 761

Surripui ego tuum? unde? aut quid id est?

Capt. 480

„Quis ait: hoc? aut quis profitetur?“ inquam.

Capt. 535

Quid loquar? Quid fabulabor? Quid negabo? Aut quid fatebor?

Cas. 616 sqq.

Qua ego hunc amorem mi esse avi dicam datum
Aut quid ego umquam erga Venerem inique fecerim,
Cui sic tot amanti mi obviam eveniant morae?

Cas. 975

Quid fecisti scipione? aut quod habuisti pallium?

Cist. 745

Quid istuc negotist? Aut quis es?

Curc. 407

Quid eum nunc quaeris? Aut quoiatis?

Curc. 617

Quis tibi hanc dedit mancipio? Aut unde emisti? Fac sciam.

Curc. 688 sq. traditi sunt:

Quid mecumst tibi?
Aut tecum aut. Quia ego e. q. s.“

Quos versus sic legendos esse censeo:

Quid mecumst tibi?
Aut mihi tecum? — Ego ex te hodie faciam pilum catapultarium;

quibus verbis leno non appellat nisi militem. De tautologia cf. Acci v. 147:

Quid est, cur componere ausis mihi te aut me tibi?

Epid. 56

Quid iam? Aut quid est?

Men. 812

Deosque do testis. — Qua de re? Aut quoius rei rerum omnium?

Men. 823

Quid tu ais? num hinc emigrastis? — Quem in locum? Aut quam ob rem, obsecro?

Men. 826

Unde? Aut quis tu homo's?

Mil. 277

Quid iam? Aut quid negotist?

Mil. 425

Quis tu homo's? Aut mecum quid est negoti?

Mil. 469 (= Epid. 56)

Quid iam? Aut quid est?

Most. 466

Quam ob rem? Aut quam subito rem mihi adportas novam?

Most. 478

Quid istuc est sceleris? Aut quis id fecit?

Most. 1017 sq. Mecum ut ille hic gesserit,

Dum tu hinc abes, negoti? quidnam? Aut quo die?

Pers. 210

Quid male facio? Aut quoi male dico?

Poen. 1009

Quid in hanc venistis urbem? Aut quid quaeritis?

Poen. 1024

Quid ait? Aut quid orat?

Poen. 1248

Ubi sunt eae? Aut quas, obsecro ...?

Pseud. 182 sq.

Cur ego vestem aurum atque ea, quibus est vobis usus, praehibeo? Aut quid mi

Domi nisi malum vestra operast hodie?

aut tradit A, omittunt Palatini.

Pseud. 219 sq.

Num quoipiam est hodie tua tuorum opera conservorum

Nitidiusculum caput? Aut num ipse ego pulmento utor e. q. s.

Pseud. 619 sq.

Sed ubi tu me novisti gentium?

Aut vidisti? Aut conlocutu's?

P s e u d. 963

Quis hic homo chlamydatus est? Aut undest? Aut quem quaeritat?

R u d. 646 sq.

Sed eae mulieres
Quae sunt? Aut quid is iniqui fit?

R u d. 1184 sq.

Summe ego scelestus, qui illunc hodie excepi vidulum?
Aut quom excepi, qui non alicubi in solo abstrusi loco?

S t i c h. 243

Eu ecastor risi te hodie multum? — Quando? Aut quo in loco?

T r i n. 608

Quam dudum istuc? Aut ubi actumst?

T r i n. 879

Quid eos quaeris? Aut quis es? Aut unde's? Aut unde advenis?

T r u c. 775

Egon tibi male dicam? Aut tibi † † male velim?

quamquam dolet, quod versus corruptus est, tamen hoc ferre malo, quam Leonis coniecturam nimis asperam atque hirsutam comprobare:

Egon tibi male dicam tibique aut male velim?

Num talia Plautus admiserit, valde dubito.

§ 17. Restat, ut s e n t e n t i a s i n d i r e c t e i n t e r r o g a t i v a s colligam, quae *aut* interiecto coniunctae sunt.

A m p h. 346

Possum scire, quo profectus quoius sis aut quid veneris?

A u l. 714 sq.

Nescio, nil video, caecus eo atque equidem quo eam aut ubi sim aut qui sim
Nequeo cum animo certum investigare.

B a c c h. 491

Satin ut quem tu habeas fidelem tibi aut quoi credas nescias?

C i s t. 168 sq.

Ille clam observavit servos,
Quo aut quas in aedis haec puellam deferat.

E p i d. 536

Pervelim mercedem dare, qui monstret eum mi hominem aut ubi habitet;

ubi Beckerus *aut* ut durius delere aut in *hic* mutare vult. Quod contra Plautinum usum suspicatur, nam eandem verborum con-

structuram praebet Most. v. 34: *Quid tibi, malum, me aut quid ego agam curatiost?* Quin etiam Terentius Epidici versum cognosse videtur, nam Phorm. 305 sic scribit:

hominem commonstrarier
Mihi istum volo aut ubi habitet demonstrarier.

Merc. 121

Curaest, negoti quid sit aut quid nuntiet.

Merc. 253 sq.

nisi capram illam suspicor
Iam me invenisse, quae sit aut quid voluerit.

Merc. 634

Rogitares, quis esset aut unde esset.

Pers. 513 sq.

Quid id ad me aut ad meam rem refert, Persae quid rerum gerant
Aut quid erus tuos?

Pers. 596 sq.

Quo genere aut qua in patria nata sit aut quibus parentibus....
Volo te percontari.

Pseud. 1102

Nisi ut observemus, quo eat aut quam rem gerat.

§ 18. Restant iam complures loci, quos nondum commemoravi, quia ibi vel *aut* delendum vel totum versum interpolatum esse censeo.

Aul. 508 sq.

Stat fullo, phrygio, aurifex, linarius...
Aut manulearii aut murobatharii

ubi Leo mea quidem sententia rectissime mutavit: *stant manulearii, stant murobatharii*; nam cetera quoque quae enumerantur opificum nomina non disiunguntur, nisi interposito *stat* aut *astant*.

Bacch. 518a *aut* in dittographia exstat, quam omisit A; itaque interpolatoris recentioris manus agnoscenda est.

Men. 1019 *aut* a Bothio summo iure deletum est, nam sensu omnino caret.

Merc. 536 sqq.

Et inter nos coniuravimus, ego cum illo et ille mecum,
Ego cum viro et ille cum muliere nisi cum illo aut ille mecum
Neuter stupri causa caput limaret

quibus ex versibus medium Ritschelius rectissime ut glossema eliminat.

In Most. v. 288 aut corruptissimo aut interpolato Schoellius *aut* coniecit; sed id quod mutando effecit, speciem veri non habet.

Most. 1057 non traditum est nisi *aut* in initio versus.

Rud. 149 id quod traditur *aut mea est opinio* iam a Merula evidentissime emendatum est in *ut mea est opinio.*

Rud. 1383 ubi traditum est: *iam ab isto auferre aut sim si* e. q. s., a Leone discedens sic scribo:

Iam ab istoc auferre haud ausim, si istunc condemnavero.

Trin. 72 sqq.

Nam si in te aegrotant artes antiquae tuae,
Sin immutare vis ingenium moribus
Aut si demutant mores ingenium tuom
Neque eos antiquos servas, ast captas novos
Omnibus amicis morbum tu incuties gravem e. q. s.

optimum sermonis conexum restituimus, si Ritschelium secuti versus a secundo usque ad quartum ut interpolatos e medio tollimus.

Confido iam omnia particulae exempla excussa et in ordinem idoneum disposita esse, ita ut de eius usu plenum iudicium proferre liceat. Atque aut fallor aut hoc iudicio id confirmatur, quod in capitis huius initio de particulae vi in universum praemonui. Omnino enim si *aut* usurpatur, disiunctio ex eius qui loquitur sensu et arbitratu intellegenda est neque illius qui appellatur voluntas respicitur.

V. *Vel* Plautinum.

Postquam iam quaestionem de *aut* particulae usu Plautino usque ad finem perduximus, omnia quae exstant *vel* colligationis exempla in certamen advocabimus, ut si utriusque vis comparatur plane quantum intersit eluceat. Cum vero adhuc in terra satis inexplorata versati simus, nunc via calcanda est, quam multi iam viri docti frequentaverunt; cuius tamen non omnes partes ita munitae mihi esse videntur, ut corrigi non possint. Sed adeo eorum, qui antecesserunt, vestigia non pre-

mam, ut id quod ipse mihi proposui ambulandi consilium persequar aut, ne ornatius atque inflatius quam res poscit dicam, proprio quaerendi ordine utar. Primus de hac quam tractamus re latius egit C. F. W. Muellerus (Jahrb. f. klass. Phil. a. 1861 p. 262 sqq.), qui ea de causa summa laude dignus est, quia *vel* particulae vim cum verbi *velle* significatione arte cohaerentem in clara luce posuit atque ei hanc fere notionem inesse statuit: „du kannst meinetwegen für den vorliegenden Fall gleich diesen Ausdruck, diese Thatsache annehmen“. Sed id quod plerisque inventoribus accidit, eam quae descripta erat metam longe praetervolavit atque talia contendebat, quae quin refellerentur fieri non poterat. Ut enim alia omittam, particulae a Plauto usurpatae umquam vim disiunctivam inesse negavit. Secundus deinde in arenam descendit Langenus, qui in symbolis Plautinis p. 68 sqq. sententiam tulit et nonnulla Muelleriana quia modum excedebant refutavit. Quocum quamvis magnam partem consentiam, tamen non desunt quae vituperem.[1]) Im primis vero rem ita disposui atque eum exempla afferendi progressum instruxi, quo ea quae mihi excogitavi aptissime proferam. Neque in animo habeo semper, quae Muellerus et Langenus senserunt, comparare; longum enim est omnes quae inveniuntur sententiarum discrepantias enotare. Ubi vero inde fructus aliquid carpi posse puto, in eis locis etiam illos audiamus; contra quotiens Langenus, quae me invenisse frustra exsultabam, ipse iam intellexerat, eius verbis uti mihi liceat.

Vel particulam antiquum imperativum esse de verbo *velle* derivatum supra contendimus. Atque spero, si Plautina exempla excutimus, fore ut et priscae illius significationis testimonia reperiantur et quasi per scalae gradus ad posteriorum temporum usum descendere possimus.

§ 1. Primum ad eos versus animum advertamus, quibus p r i s c i i m p e r a t i v i v i s i n t e g r a s e r v a t a esse mihi videtur. Inspiciamus enim M o s t. v. 299

Etiam nunc decem minae apud te sunt: vel rationem puta

1) Quae Lorenzius ad Most. 287 adnotavit, silentio praetermitto; neque enim quicquam confecit, nisi quod nonnulla exempla comportavit.

quod vertendum est: „du hast noch 10 Minen von mir, rechne nur nach, wenn du willst". Quam aliam particulae significationem hic nobis fingamus atque „wolle"? Rectissime igitur mea sententia, quod ad eiusmodi versus attinet, Ussingius ad Amph. v. 917 iudicavit: ‚*vel*' *apud imperativos fere idem est quod* ‚*modo*'; quamvis ego pro *modo* supponere *sis* mavelim. Langenus vero non recte sensit, cum interpretaretur p. 70: „du hast noch 10 Minen von mir, oder wenn du mir nicht glauben willst, so rechne lieber". Nam si neque incerta supplemus et id quod traditum est ita ut scriptum legimus interpretamur, aut fallor aut cogimur *vel* imperativum agnoscere. Si quis autem miratur *vel* imperativum per asyndeton cum alio imperativo coniungi, primum quidem conferat illud *velitis iubeatis*, quod Livius 38, 54 fortasse ex ipso Valerio Antiate sumptum praebet. Hic igitur coniunguntur duo coniunctivi, in *vel puta* ‚duo imperativi; quae est attractio modorum. Pariter autem et *velitis* et *vel* iussioni stimulum adiciunt. Denique feliciter accidit, quod apud Petronium cap. 70 init. verba legimus haec: *Necdum finieram sermonem, cum Trimalchio ait: ita crescam patrimonio, non corpore, ut ista cocus meus de porco fecit. Non potest esse pretiosior homo. Volueris, de vulva faciet piscem.* Quod *volueris* gratissimum obvenit. Nonne enim idem est ac si Plautus dixisset *vel*? Itaque etiam hoc Petroni loco verbi *velle* forma per asyndeton praemittitur habetque sensum condicionalem!

Praeterea eodem modo, quo *vel*, cum imperativi altera persona coniungi solent (ut alia omittam, quae ad rem demonstrandam minimi momenti sunt) et *age* cum apud alios tum apud Plautum (nisi quod *age* omnibus temporibus imperativi naturam prae se ferebat) et *sis*,[1]) quod si hoc Mostellariae loco pro *vel* adhibitum esset, minime miraremur. Sed inter *age* et *sis* hoc interest, quod *age* addito hortativa impe-

1) *Sis* cum imperativi vel coniunctivi hortativi altera persona coniunctum 124 locis, *sultis* eodem modo usurpatum 13 locis apud Plautum invenitur. Eodem munere plenior forma *si velis* fungitur As. 445 et Rud. 834. In sententiis condicionalibus plenioribus *si vis* adhibetur, nisi quod bis (As. 309 et 683) *sis* enuntiatum condicionale incipit. Semel *sis* cum coniunctivi hortativi prima persona coniungitur: As. 828 *age decumbamus sis pater*.

rativi vis firmatur et cumulatur, *sis* apposito contra quasi attenuatur.[1] Nam qui dicit *sis fac illud*, imperativi strictam asperitatem lenit, cum eius quem appellat arbitratum aut respiciat aut respicere simulet. Quod idem in *vel* cadere et eo de quo agimus versu confirmari confido et quattuor sequentibus:

Amph. 916 sq.

Equidem ioco illa dixeram dudum tibi,
Ridiculi causa. Vel hunc rogato Sosiam

ubi *vel* = *si placet*. Langenus eodem modo quo antea errat, cum p. 71 vertat: „Oder wenn du mir nicht glauben willst, so frage lieber hier den Sosia".

Curc. 611

Si vis tribus bolis, vel, in chlamydem!

quo de versu cf. supra p. 17.

Epid. 697 sqq.

Qua fiducia ausu's primum, quae emptast nudiustertius,
Filiam meam dicere esse? — Libuit: ea fiducia. —
Ain tu? Libuit? — Aio. Vel da pignus, ni ea sit filia

quod mea quidem sententia sic vertendum est: „Ja, das meine ich. Du kannst mir ja, wenn du willst, ein Pfand geben, wenn sie nicht deine Tochter ist." Quo iure hoc loco Langenus p. 74 comparativam vim „sogar" particulae supponat, non intellego; intellegerem, si traditum esset: *vel do pignus*. Epidicus enim non respondet nisi uno verbo ad ea, quae Periphanes rogavit; deinde per asyndeton ad id transit, quod novom dicere vult.

Most. 920 sq.

Hodie accipiat (*sc.* argentum). — Ita enim vero, ne qua causa subsiet.
Vel mihi denumerato: ego illi porro denumeravero;

Langenus[2]) adnotat: „Theopropides erklärt, der Gläubiger solle das Geld von ihm bekommen; Tranio erwidert: ‚So ist es recht: oder vielmehr, gieb mir das Geld, ich will es dem Simo bezahlen', dagegen macht darauf Theopropides die Einwendung at enim, ne quid captioni mihi sit, si dederim tibi. Müller

1) Huc pertinet id quoque, quod *amabo* vel *obsecro* vel similia sescenties ad imperativum adduntur.

2) Et hic et in sequentibus, quando usus postulat, Langeni verba plena atque integra exscribo, veritus ne sententia eius latine versa nimisque contracta sensus subtilior parum cognoscatur.

p. 268 ‚(die Worte) vel mihi denumerato sagen nicht: oder gieb es mir, auch nicht: meinetwegen gieb es aber auch mir — sondern lassen sich umschreiben: dazu, dass der danista (vielmehr Simo) das Geld bekommt, will ich dir, wenn du willst, zugleich dadurch am leichtesten verhelfen, dass ich es an mich nehme, um es ihm dann weiter abzuliefern'. Ob nun jemand weiss, was nach Müller vel hier bedeutet, bezweifle ich sehr." Quod Langenus se intellegere quid Muellerus dicere voluerit negat, valde doleo. Ego certe Muelleri sententiam intellego et comprobo. Significat enim *vel* hoc loco nihil aliud atque „wolle" sive „wenn du willst". Tranio illius sagacitatis, quam servom in comoediis praestare ridentes gaudemus, ne frit quidem haberet, si ero, qui summo iure in eius consilia maxime suspiciosus est, responderet: „Oder vielmehr, gieb mir das Geld, ich will es ihm geben." Immo vero strenuum servom gerit atque simulat se eri consilium comprobare et ea re adiuturum esse, ut ipse danistae argentum tradat. Itaque Tranionis responsum sic fere germanice vertendum est: „So ists recht, dann ist alles in Ordnung. Du brauchst übrigens, wenn dir das recht ist, nur mir das Geld zu geben" e. q. s.

§ 2. Cum ei, quos iam citavi, versus purum atque putum imperativum *vel* nobis servaverint, ex ceteris exemplis colligendum est paulatim et gradatim primam vocis originem oblitteratam et eius vim sensim mutatam esse. Oriuntur enim ex prima significatione „wolle" tres, ut ita dicam, notionis colores „1) wenn du willst, meinetwegen, 2) oder wenn du willst, 3) wenn du willst sogar", ita tamen ut semper propemodum prima significatio subaudienda sit. Eam enim particulae proprietatem, quod *vel* addito ad arbitrium eius, qui appellatur, respicitur, sermo latinus multos post Plauti saeculum annos servavit. Plerumque igitur in Plauti comoediis si *vel* adhibetur e n u n t i a t i s u b i e c t u m a l t e r a p e r s o n a aut est aut facile fingi potest. Quod ea re praeclare explicatur, si *vel* quoque alteram personam esse ponimus; itaque ea, quam contendimus, sententia hoc usu comprobatur.

Ceterum memoratu dignum est haud raro *vel* se ad *tu* applicare; legimus enim *vel tu* Merc. 310; Rud. 430, 582; Pers. 398; cf. Lucanus VI 599 *vel tu*, Vergili versum supra p. 4 et

Properti locos infra sub cap. VIII. Qua re illustratur, quam arte *vel* cum altera persona cohaereat.

In universum quod ad particulae significatum attinet, premendum est *vel* comiter et blande dici, eodem modo quo nostrum „wenns beliebt“, quia alterius arbitratum benigne respicit, cf. p. 24.

Denique attendas, si consulas exempla sub §§ 1—3 composita, *vel* apud Plautum in sententiis negativis omnino non exstare; neque exceptiones huius legis invenies nisi sub § 4. Quam equidem observationem et ipsam gravissimam puto; tantum enim huius *vel* natura cohortativa valuit, ut ad dehortationes nisi disiunctivas non facile referri posset. Atque concinnunt etiam quae sub §§ 5 sqq. congesta sunt.

§ 3. Atque amat *vel* poni iuxta imperativum et coniunctivum hortativum, id quod adeo sub oculos cadit, ut omnia talia exempla componenda mihi esse videantur. Sunt vero haec:

Asin. 666 sq. (vel = oder wenn du willst)

Dic igitur me passerculum gallinam coturnicem
Agnellum haedillum me tuom dic esse vel vitellum.

Asin. 693 itidem

Dic igitur med aniticulam columbam vel vitellum.

quibus duobus locis si *aut* positum esset, sensus paulum mutaretur atque vertendum esset: „oder ich will mich so ausdrücken“. Sed ille qui loquitur verborum electionem non curat, sed alteri permittit.

Aul. 452 (vel = meinetwegen, wenn du willst)

etiam intro duce, si vis, vel gregem venalium

ubi rectissime adnotat Langenus duplex *velle* offensionem minime praebere; cf. Curc. 611.

Aul. 831 sq. (vel = meinetwegen sogar wenn du willst)

Vel hercle enica,
Nunquam hinc feres a me.

Bacch. 902 (vel = wenn du Lust hast meinetwegen)

Abeo ad forum igitur. — Vel hercle in malam crucem (sc. abi).

Bacch. 1064 sq. (vel = oder wenn du willst)

Nolo, inquam, aurum concredi mihi.
Vel da aliquem, qui me servet

quod rectissime a Langeno versum est: „oder wenn du mir lieber doch das Geld geben willst, so gieb mir auch einen

Wächter". Hic *aut* tum solum locum haberet, si stricta alternatio efficeretur: *aut aurum mihi ne crede aut da aliquem.*

Capt. 668 (vel = meinetwegen sogar)

Tuos sum: tu has (sc. manus) quidem vel praecidi iube.

Epid. 679 (*vel* apposito *mea causa* auctum et cumulatum = meinetwegen sogar)

Dum sine me quaeras, quaeras mea causa vel medio in mari.

Men. 176 sq. Feri.

Vel mane etiam. — Mille passum commoratu's cantharum

ubi Langenus adnotat: „dass der zweite, dem ersten widersprechende Befehl allein Geltung haben soll, beweist die Antwort des Angeredeten mille passum commoratu's cantharum." Qui vero ita interpretatur, obliviscitur proximorum Menaechmi verborum: *Placide pulta.* Pultat igitur parasitus, quamvis de mora questus sit, neque Menaechmus eum obiurgat, quod imperato oboediens non fuerit. Qua de causa ego Muellerum secutus locum sic intellego: „Klopfe oder wenn du willst, wenn du das für richtiger hältst, warte noch". Ad quae parasitus, quia manere non vult, optione sibi data utitur et pultat. Sin contra Menaechmus imperavisset: „Nein, warte noch", aut parasitus oboedisset aut Menaechmum iratum audiremus. Ceterum omnino eam vim, quam Langenus non nullis particulae exemplis subicit = oder vielmehr, *vel* habere posse nego, quia contra eius naturam pugnat.

Men. 727 sq. (vel = wenn du Lust hast, sogar)

Mea quidem hercle causa vidua vivito
Vel usque dum regnum obtinebit Juppiter.

Merc. 308 sqq. (vel = oder wenn du willst)

Decide collum stanti, si falsum loquor.
Vel ut scias me amare, cape cultrum ac seca
Digitum e. q. s.

(sequentia *vel* vide infra p. 54).

Merc. 490 sq. (vel = wenn es dir recht ist, sogar)

Auctarium
Adicito vel mille nummum plus quam poscet.

Mil. 355 (vel = wenn du willst sogar)

Cedo vel decem, edocebo e. q. s.

Most. 1090 sq. (*vel* videtur esse = oder wenn du willst, sed locus corruptissimus est)

Mihi hominem cedo.
Vel hominem iube aedis mancipio poscere.

Pseud. 31

Lege vel tabellas redde. — Immo enim pellegam.

Langenus censet: „Die Antwort zeigt klar, dass der erste Befehl durch vel zurückgenommen wird: immo enim pellegam". Quo eodem responso ego in aliam partem utor. Calidorus dicit: „Lies den Brief", deinde polite et ea comitate qua domini in servos utuntur, addit: „oder, wenn dir's lieber ist (d. h. wenn das Lesen dir lästig ist) gieb ihn mir zurück". Pseudolus respondet: „ich will ihn doch lieber durchlesen".

Pseud. 120 sqq. (vel = wenn du Lust hast meinetwegen sogar)

Si neminem alium potero, tuom tangam patrem. —
Di te mihi semper servent. Verum si potest
Pietatis causa vel etiam matrem quoque (*sc.* tange).

Pseud. 170 sq.

I puere prae; ne quisquam pertundat cruminam, cautiost.
Vel opperire, est quod domi dicere paene fui oblitus.

Langenus adnotat: ‚Müller p. 266, „wenn du willst, warte meinetwegen auch", eine Erklärung, welche offenbar ein Missverständnis enthält. Ballio giebt dem Sklaven zuerst den Befehl ihm vorauszugehen; da fällt ihm ein, dass er noch etwas vergessen hat und desshalb befiehlt er ihm nun, noch zu warten: „oder vielmehr warte noch", er legt es keineswegs in das Belieben des Sklaven, zu gehen oder zu warten'. Quae Langeni sententia quamvis illo quoque argumento confirmari possit, quod puer re vera mantat (cf. v. 241), tamen sensum Plautini sermonis mihi turbare videtur. Nam si *vel* usurpatur, ad eius qui appellatur arbitrium respicitur aut certe respici simulatur. Itaque nobis concedendum est Ballionem dicere: „Geh voran oder, wenn du willst, warte, ich habe noch etwas zu sagen vergessen" (hodie dicimus „oder wenn's beliebt, wenn's gefällig" et ita etiam ad ministros loquimur incitandi gratia). Ex dicendi autem ratione et vocis sono puer Ballionem se mansurum esse exspectare cognoscit. Fortasse miratur quispiam, quod tam comis atque urbana consuetudo inter erum et servum intercedit. Cui hos locos opponimus, quibus ad imperatum servis datum *sultis* additur: Capt 456 *servate istum sultis intus servi.* Capt. 667. 919; Men. 350; Rud. 820. Sane haec loquendi

formula est, cuius propriam significationem tempus, ut ita dicam, admomordit, sed tamen in versione respicienda est. Eodem modo cum strictissimis imperatis saepissime *sis* coniungitur; ut unum pro multis exemplum afferam: Most. 569 *abi sis belua*. Habemus hic reliquias priorum temporum, quae urbaniores mores vidisse debent.

Rud. 1401 sq. (vel = meinetwegen sogar)

Vapulabis, verbum si addes unum. — Vel hercle enica:
Non tacebo umquam alio pacto, nisi talento comprimor.

Addenda sunt nonulla alia eiusdem modi exempla particulae, ubi *vel* ad imperativum accedit ita quidem, ut bis aut saepius ponatur.

Men. 690 sq. (vel = oder wenn es dir genehm ist)

patiar: tibi habe, aufer, utere
Vel tu, vel tua uxor, vel etiam in loculos compingite;

totum enuntiatum adeo eius qui appellatur arbitrium respicit, ut alterum quoque et tertium *vel* vertenda sint „wenn es dir beliebt".

Merc. 308 sqq. (vel = oder wenn du willst)

Decide collum stanti, si falsum loquor:
Vel ut scias me amare, cape cultrum ac seca
Digitum vel aurem vel tu nassum vel labrum.

Pers. 398 (vel — vel = wie es dir beliebt)

Vel tu me vende vel me face quid tibi lubet;

quem versum similiter nostra lingua exprimere possumus: „wenns beliebt, verkaufe mich, wenns beliebt, mache mit mir, was dir gefällt: ich überlasse alles deinem Gutdünken". Quo eodem modo verti possunt

Rud. 582

Tu vel suda vel peri algu vel tu aegrota vel vale

et Rud. 430

Nunc quam ob rem huc sum missa, amabo vel tu mi aias vel neges

et Rud. 1331

Proin tu vel aias vel neges.

Stich. 719

Ubi illic biberit, vel servato meum modum vel ego dabo;

ubi *ego* coniecit Ritschelius pro *tu* in codicibus exarato. Sensus ita circumscribi potest: „wolle entweder das Mass inne halten

oder wolle, dass ich dir gebe". Eo, quod supra p. 51 de *vel tu* diximus, fortasse explicatur, quomodo in Stichi v. 719 mendosa lectio exorta sit.

§ 4. Qua via *vel* ex imperativi loco in coniunctionum sedem transmigraverit, iam ex eis quae enumeravi exemplis cognosci posse puto. Nam et disiunctivam vim et comparativam et eam, quam verbis *mea causa* circumscribere licet, ex prisca et communi imperativi significatione Romani in linguae usum facillima opera sibi formabant. Quae coniunctionalis notionis origo quamvis ex eis locis, quibus *vel* cum imperativi altera persona coniunctum est, optime exploretur, quia rectiore via quam imperativo nemo appellatur, tamen ex aliis quoque particulae exemplis erui potest. Primum iam ad illos versus accedamus, ubi *vel* disiunctivam vim praebet.

Mil. 1019

Sed hic numquis adest? — Vel adest vel non

quod vertendum est: „wenn du wünschest, ist einer da, wenn du das Gegenteil wünschest, nicht". Sin *aut* hoc loco adhibitum esset, longe alius sensus evaderet, quo versuum conexus pessime turbaretur. [Ceterum cf. similem verborum compositionem Caecil. Stat. v. 5: *actutum voltis*, *empta est*, *noltis*, *non empta est.*

Poen. 1382

Quis hic est? — Utrum vis est, vel leno vel λύκος

quod vertendum est: „er ist beides, was du willst; wenn du willst, ein Kuppler, wenn du willst, ein Lycus". In *utrumvis* quod praecedit ipsum *velle* inest; itaque de particulae vi dubitari non potest; item

Pseud. 345

Viginti minis? — Utrum vis, vel quater quinis minis

ubi supplendum est: utrum vis, vel viginti minis vel quater quinis; qua ratione argenti summam definire malis, tibi permitto.

Rud. 991 sq.

Vel te mihi monstrare oportet piscis qui sit vidulus,
Vel quod in mari non natumst neque habet squamas ne feras

quod idem est atque: vel monstra vel ne feras.

Trin. 1053 sq.

Si mage exigere occipias, duarum rerum exoritur optio:
Vel illud quod credideris perdas vel illum amicum amiseris;

in hoc et in antecedenti versu (Rud. 991) observatur sane praecisa disiunctio: si alterum locum habet, alterum excluditur. Quae tamen asperitas *vel* adhibito lenitur, cum eligendi potestas iuxta eius qui compellatur arbitrium sit idque quasi urgueatur. Similes sunt

Bacch. 1041 sq.

Duae condiciones sunt: utram tu accipias vide:
Vel ut aurum perdas vel ut amator perieret.

Asin. 179 sq.

eum quo vis pacto condias
Vel patinarium vel assum vorses quo pacto lubet;

premendum est, quod antecedit *quovis.*

Stich. 218 sqq. parasitus auctionem suarum rerum facit et unum ex spectatoribus alloquitur

Ehem, adnuistin? Nemo meliores dabit.
Vel, iunctiones Graecas sudatorias
Vendo: vel, lalias malacas crapularias;

quamvis de codicum lectione dubitari possit, *vel* ad Plautinum usum accommodatissime usurpatum est: „willst du etwas kaufen, dann wähle nur". Ceterum nescio numquis viderit similem auctionem indicari a M. Porcio Catone, cuius fragmentum hoc exstat (Meyer orat. Rom. fr. ed. II p. 138): *Si posset auctio fieri de artibus tuis, quasi supellectilis solet.*

Capt. 368 sqq. dicit Philocrates servum imitatus:

Utroque vorsum rectumst ingenium meum
Ad te atque ad illum; pro rota me uti licet:
Vel ego huc vel illuc vortar, quo imperabitis;

exemplum sane singulare! Primum enim *vel* ad Hegionem directum est, alterum ad eum, qui antea servi erus fuisse dicitur; denique una ambo appellantur: *quo imperabitis.*

Truc. 676 sqq.

Dic impera mihi, quid libet quo vis modo.
Novos omnis mores habeo, veteres perdidi.
Vel amare possum vel iam scortum ducere;

duplex *vel* respicit ad verba quae antecesserunt: *impera quid libet quo vis modo.*

Mil. 642 sq. Periplectomenus Pleusicli mores suos enarrat virtutesque expromit:

Vel cavillator facetus vel conviva commodus
Idem ero e. q. s.

v. 666 sq. sic pergit

Vel hilarissimum convivam hinc indidem expromam tibi
Vel primarium parasitum atque obsonatorem optumum

quibus verbis sensus inest hic: „wenn du's verlangst, bin ich das eine, wenn du's verlangst, das andere". Periplectomenus, ut est senex expolitissimae urbanitatis, Pleusiclis voluntati quasi concedit se eam, quam ille voluerit, partem gesturum esse. Non sine fructu ad hunc versum conferri potest Petronianus locus supra p. 48 exscriptus.

Capt. 773

Nam vel prodesse amico possum vel inimicum perdere;

quem versum quamvis in soliloquio exstet, in hunc sensum intellegendum esse existimo: „ich kann, was du willst, vel prodesse vel perdere; wünsche das eine oder das andere". Parasitus enim qui loquitur se ex spectatoribus aliquem compellare fingit, id quod in Plautinis comoediis saepissime fieri si confirmarem ligna ego in silvam ferrem.

Pseud. 271 sq.

Di te deaeque ament vel huius arbitratu vel meo:
Vel, si dignu's alio pacto, neque ament nec faciant bene;

Pseudolus Ballioni per ludibrium optionem dat, cuius ad arbitratum se vitam suam acturum esse velit.

Pseud. 434 sqq.

Quid novum, adulescens homo
Si amat, si amicam liberat. — ....
Vetus nolo faciat. — At enim nequiquam nevis:
Vel tu ne faceres tale in adulescentia;

quid *vel* dicere velit, ex *nevis* colligi potest, i. e. „du bist umsonst dagegen oder wolle Ähnliches in deiner Jugend nicht gethan haben."

Capt. 690 sqq.

Qui per virtutem, periit at non interit. —
Quando ego te exemplis pessumis cruciavero...
Vel te interiisse vel periisse praedicent;
Dum pereas, nihil intererit dicant vivere.

Id est: „mögen sie sagen, wie du willst, perire oder interire, mir ist es gleich“.

§ 5. Sequitur iam, ut illos versus inspiciamus, quibus *vel* comparativam vim habet = sogar. Incipiamus vero ex versu quodam, qui iam antea (§ 3) memorandus erat; ubi quamvis *vel* non ad imperativum appositum videamus, tamen imperativus supplendus est. Quem versum hoc loco posui, quia eo optime illustratur, quomodo *vel* vim nativam in comparativam mutaverit. Est Stich. v. 426

Ducam hodie amicam. — Vel decem, dum de tuo

ubi supplendum est: vel duc, et vertendum: „wenn du willst, so führe; führe, wenn du willst, sogar“. Reliqua huius usus exempla sunt haec:

Asin 327 sq.

Age age mansero
Tuo arbitratu vel adeo usque dum peris.

Bacch. 831 sq.

Sequere hac me: faxo iam scies. — Quo gentium? —
Tres unos passus. — Vel decem.

Capt. 183

Sed si venturu's, temperi (*sc.* veni). — Em vel iam otiumst

quod ita interpungendum: *Em vel iam*: *otiumst* (i. e. em vel iam veniam: otiumst).

Curc. 586 sq.

Ubi nunc Curculionem inveniam? — In tritico facillume
Vel quingentos curculiones pro uno faxo reperias.

Most. 1004 sqq.

Promisi foras,
Ad cenam ne me te vocare censeas. —
Haud postulo edepol. — Verum cras, nisi qui prius
Vocaverit — me, vel apud te cenavero

ubi *postulo* et *vel* quodam modo respondent.

Pers. 396

Cum hac dote poteris vel mendico nubere.

Pseud. 301 sq.

Eme die caeca hercle olivom, id vendito oculata die:
Iam hercle vel ducentae fieri possunt praesentes minae;

notandum hoc loco est duos imperativos antecessisse.

Pseud. 321 sqq.

Quid nunc vis. — Ut opperiare hos sex dies aliquos modo,
Ne illam vendas neu me perdas hominem amantem. —
Animo bono's:
Vel sex menses opperibor.

Pseud. 826 sqq.

Quid tu? Divinis condimentis utere,
Qui prorogare vitam possis hominibus,
Qui ea culpes condimenta? — Audacter dicito.
Nam vel ducenos annos poterunt vivere,
Meas qui essitabunt escas quas condivero;

cocus hoc fere dicit: si tu hoc artis meae documentu videre vis, ut homo quidam vel ducentos annos vivat, mei condimentis id efficere possum.

Poen. 334

Eho, an iratast? Propitia herclest: vel ego pro illa spondeo

quod vertendum est: „wenn du es wünschest, bürge ich sogar für sie".

Rud. 550 sqq.

Perii oppido. —
Vel consociare mihi quidem tecum licet:
Aequas habemus partes e. q. s.

Langenus adnotat se *vel* hoc loco intellegere non posse et mutare mavult: *vel consociare tibi quidem mecum licet.* Quod si in codicibus exstaret, sane optimum esset. Equidem acquiesco in eo quod traditum est et interpretor: „Wenn du willst, wenn du damit einverstanden bist, kann ich mit dir gemeinschaftliche Sache machen". Itaque *vel* = *volueris.*

Rud. 565 sq.

Qua sunt facie? — Scitula:
Vel ego amare utram vis possum, si probe adpotus siem;

vel alteram personam appellare *utram vis* apposito confirmatur.

Stich. 619

Si arte poteris accubare. — Vel inter cuneos ferreos.

Stich. 721

Namque edepol quam vis desubito vel cadus vorti potest;

optimo iure hic iterum Petronianum illud *volueris* comparare licet; et accedit altera persona in *quam vis.*

Trin. 655

Omnia ego istaec quae tu dixti scio, vel exsignavero

nostra lingua: „wenn du es verlangst, kann ich es dir sogar Punkt für Punkt niederschreiben".

Trin. 963 sq.

Heus, Pax, te tribus verbis volo. —
Vel trecentis

qui versus ita compositi sunt, ut post *volo* eiusdem verbi purus atque putus imperativus *vel* repeti isque ita intellegendus esse videatur: „Wolle, wünsche mich auf 300 Worte". Sed si cetera exempla, quae particulam cum numeralibus solis coniunctam monstrant, conferimus, hoc subtilius iudicatum esse elucet.

Truc. 373

Dan savium? — Immo vel decem.

§ 6. Paulatim vero *vel* disiunctivam significationem adeo sibi assumpserat, ut omnino disiungendi potestatem acciperet neque amplius eius arbitrium respiceretur, ad quem verba directa sunt. Itaque *vel* fines sibi positos egreditur neque in talibus enumeratis, qualia iam enumeravi, se continet, sed primae quoque et tertiae personae voluntatem respicit et exprimit. Id quod eo significatur, quod saepius verbi *velle* aliqua forma additur. Huius autem usus Plautina testimonia rara exsistunt.

Poen. 827 sq.

Ita me di ament vel in lautumiis vel in pristino mavelim
Agere aetatem e, q. s.

ubi *vel* — *vel* in eum sensum intellegendum est, quem indicat *mavelim*.

Bacch. 589 sqq.

Paucis me misit miles ad eam Cleomachus,
Vel ut ducentos Philippos reddat aureos,
Vel ut hinc in Elatiam hodie eat secum semul;

hoc loco *vel* e persona iubentis dictum est, cuius ipsius si verba audiremus, haec essent: *vel redde vel mecum i.* Itaque qui mandata nuntiat, ex illius sententia ponit *vel.* Eadem res est

Asin. 365 sq.

Iussit vel nos atriensem vel nos uxorem suam
Defraudare.

Curc. 466 sqq.

Sed dum hic egreditur foras,
Commonstrabo, quo in quemque hominem facile
inveniatis loco,
Ne nimio opere sumat operam, si quem conventum velit
Vel vitiosum vel sine vitio vel probum vel improbum ...
483 In Tusco vico, ibi sunt homines qui ipsi sese venditant,
In Velabro vel pistorem vel lanium vel haruspicem
485 Vel qui ipsi vorsant vel qui aliis ubi vorsentur praebeant.

Versum 484 Leo iure cancellis circumclusit, nam accusativi contextum turbant; interpositus esse videtur ab interpolatore quodam, qui v. 469 ante oculos habebat. Vides autem hoc quoque loco particulae *vel* anteire *velit* vocabulum.

§ 7. Idem quod disiunctivae etiam comparativae notioni accidit. Itaque talia legimus:

Aul. 560

Tum obsonium autem. — Pol vel legioni sat est;

quem versum ut in suspicionem traheret Langenus valde operam dedit; neque senem avarum neque Megadorum urbanum talia verba dicere potuisse. Sed hic conexus mihi satis facit: senex postquam innumerabiles querimonias effudit, pergit: *tum obsonium autem.* Megadorus vero longis lamentationibus vexatus orationem eius praecidit, cum dicit: *pol vel legioni sat est* e. q. s., quae verba cur iuvenem modestum dedeceant nescio.

Capt. 129 sqq.

Aegre est mihi, hunc facere quaestum carcerarium
Propter sui gnati miseriam miserum senem.
Sed si ullo pacto ille huc conciliari potest,
Vel carnuficinam hunc facere possum perpeti;

vel valet: „wenn er will sogar".

Most. 177 sqq.

Eho mavis vituperarier falso quam vero extolli?
Equidem pol vel falso tamen laudari multo malo
Quam vero culpari e. q. s.

quamquam *vel* et *malo* una explicanda esse videntur, Langenum, qui adnotat: „ich will lieber, dass man mich, wenns so beliebt, fälschlicher Weise lobt", es wird hier keine Thatsache durch vel gesteigert, das falso laudari und vero culpari wird durch vel ins Belieben dessen gesetzt, der die Handlung ausführen

soll“ recte iudicasse puto, nisi quod mea sententia comparativam vim particulae inesse eo confirmatur, quod sequitur *tamen.*

Most. 984

Tranio: is vel Herculi conterere quaestum potest;

metrum corruptum Camerarius emendavit, cum pro *potest* corrigeret *possiet.* Fortasse versus verti potest: „wenn du es willst, so ist er dazu im stande“; sed versio alia „wenn er will sogar“ mihi speciem veritatis maiorem prae se ferre videtur.

Trin. 744 sqq.

Nunc si opperiri vis adventum Charmidi,
Perlongumst: huic ducendi interea abscesserit
Lubido: atque ea condicio huic vel primariast;

Langenus, quia hoc *vel* cum Plautino usu plane discrepet, *pol* supponere mavult. Nos si ea quae antecesserunt exempla in comparationem vocamus, agnoscere cogimur iam Plauti temporibus *vel* particulae primam vim adeo se mutare potuisse. Latet autem fortasse gravior quaedam corruptela. Nam quem postulamus sensum: „die Hauptbedingung für die Ehe ist, dass er lubido hat“, voces *huic vel* prorsus pessumdant. Egregia igitur coniectura mihi esse videtur, quam Birtius invenit: *atque ea condicio huic rei primariast.* Ita nempe *vel* pro *vei* scriptum est Merc. 319.

§ 8. Denique apud Plautum *vel* ita usurpatur, ut post locum aliquem communem certum quoddam exemplum *vel* praemisso addatur, quod nostra lingua per „zum Beispiel“ exprimere consuevimus. Ego verto fere „nimm den Fall“; sequi autem potest solus nominations omisso verbo. Priusquam eo de usu verba faciamus, locis de quibus agitur collatis fundamentum firmum substruere praestat.

Epid. 382 sqq.

Non oris causa modo hominis aequom fuit
Sibi habere speculum, ubi os contemplarent suom,
Sed qui perspicere possent cordis copiam:
Ubi id inspexissent, cogitarent postea,
Vitam ut vixissent olim in adulescentia.
Fuit conducibile hocquidem mea sententia.
Vel ego, qui dudum fili causa coeperam
Ego me excruciare animi, quasi quid filius
Meus deliquisset med erga aut non pluruma
Malefacta mea essent solida in adulescentia;

v. 389 Guyetus sic instruxit, codices corruptam atque turbatam lectionem *vel quasi egomet qui dum fili c. c.*

Men. v. 872 sqq. nonnulla verba excidisse necessarium est. Rectissime adnotat Brixius: „Es ist der allgemeine Gedanke ausgefallen, zu dem mit dem folgenden vel Menaechnus als das nächstliegende Beispiel angeführt wird". Quam lacunam Schoellius ingeniose explevit

Eu hercle, morbum acrem ac durum. ⟨Exanimis cubat.
Ut incerta salus est hominum⟩ di vostram fidem:
Vel hic qui insanit quam valuit paulo prius.

Men. 1039 sqq.

Nimia mira mihi quidem hodie exorta sunt miris modis:
Alii me negant eum esse qui sum atque excludunt foras

(post hunc v. lacunam signavit Ritschelius)

Vel ille qui se petere argentum modo, qui servom se meum
Esse aibat, ⟨meus servator⟩, quem ego modo emisi manu

cuius de loci lectione et duplici recensione cf. ea, quae Leo ad v. 1028 et 1041 adnotavit. Ego in versibus citandis textum a Leone constitutum secutus sum, quia nisi hoc modo verba *vel ille qui* conservari non possunt, quae cum duobus iam exscriptis exemplis (Ep. 382 sqq. et Men. 872 sqq.) feliciter consentiunt. Ceterum totum hunc locum hoc ordine dispositum legere conor:

1039 Nimia mira mihi quidem hodie exorta sunt miris modis:
1041 Vel ille, qui se petere argentum modo, qui servum se meum
Esse aiebat, ⟨meus servator⟩, quem ego modo emisi manu;
Is ait se mihi allaturum cum argento marsuppium.
Id si attulerit, dicam ut a me abeat liber quo volet,
1045 Ne tum, quando sanus factus sit, a me argentum petat.
1040 Alii me negant eum esse qui sum atque excludunt foras.
1046 Socer et medicus me insanire aiebant e. q. s.

Si ita versus disponimus, nihil intercidit. Nam id quod Ritschelius intercidisse putavit *alii me esse aiunt qui non sum*, continetur in his verbis: *vel ille qui se petere argentum modo, qui servum se meum esse aiebat.* Primum Menaechmus in universum sibi multa mira accidisse affirmat, exempli causa hominem illum affert sibi ignotum, qui cum servum suum se esse asseveraret, eum se esse dixerit, qui non esset. Contra alios se eum esse, qui re vera sit, negare; socerum et medicum se insanire putare. Quae cum ita sint, mea quidem sententia

tum demum, si in eum modum versus distribuimus, ut v. 1040 post v. 1045 ponatur, sensus evadit dilucidus. Si quis autem in temporum consecutione *negant* (v. 1040) et *aiebant* (1046) offendit, vereor ne obliviscatur, quam eodem modo si ordinem versuum traditum conservamus tempora varientur: *negant atque excludunt*, *aiebat*, *ait*, *aiebant*.

Mil. 19 sq. postquam dixit Artotrogus: *Nil hercle hoc quidemst praeut alia dicam*, addit

Edepol vel elephanto in India
Quo pacto ei pugno praefregisti bracchium.

Mil. 58 sqq.

Amant ted omnes mulieres, neque iniuria,
Qui sis tam pulcer. Vel illae quae here pallio
Me reprehenderunt.

Rud. 421 sqq.

Pro di immortales, Veneris effigia haec quidemst.
Ut in ocellis hilaritudo'st: heia, corpus quoius modi:
Subvolturium — illud quidem subaquilum volui dicere;

deinde *vel* apposito duo exempla, quibus pulcra corporis forma comprobetur, addit servus:

Vel papillae quoius modi: tum quae indoles in saviost.

Bacariae fragmentum (Macr. III, 16, 1) sqq.

Quis est mortalis tanta fortuna affectus umquam
Qua ego nunc sum? Quoius haec ventri portatur pompa:
Vel nunc qui mihi in mari acipenser latuit antehac,
Quoius ego latus in latebras reddam meis dentibus et manibus.

Plane eodem modo, quo his quos enumeravi locis *vel*, etiam *velut* in Plauti comoediis usurpatur. De quo vide Brixium ad Mil. v. 25 et Lorenzium ad Pseud. v. 749. Ut nonnulla exempla afferam:

Merc. 225 sqq.

Miris modis di ludos faciunt hominibus
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.
Velut ego nocte hac quae praeteriit proxuma
In somnis egi e. q. s.

Rud. 593 sqq.

Miris modis di ludos faciunt hominibus
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.
Ne dormientis quidem sinunt quiescere.

Velut ego hac nocte quae processit proxuma
Mirum atque inscitum somniavi somnium.

Most. 703 sqq.

Siquis dotatam uxorem atque anum habet,
Neminem sollicitat sopor: ibi omnibus
Ire dormitum odiost. Veluti nunc mihi
Exsequi certa res est ut abeam e. q. s.

Tempus iam adest quaerendi, qua ratione *vel* in eam significationem transire potuerit, ut idem valeat quod *exempli causa*. Equidem etiam in hoc usu antiquam imperativi naturam agnosco: *vel ego qui* = nimm ein Beispiel: ich, der ich e. q. s.; praesertim cum aliud simillimae transmutationis exemplum afferre liceat. Eodem enim sensu quo *vel* etiam alius imperativus a Romanis usurpabatur: scilicet *puta*; cuius testimonia apud Handium collecta invenias, cf. Hor. sat. II, 5, 32 sq.

‚Quinte' puta aut ‚Publi' — gaudent praenomine molles
Auriculae — ‚Tibi me virtus tua fecit amicum' e. q. s.

Et si denuo quaerimus, qui fieri potuerit, ut iuxta *vel* eodem munere *velut* fungeretur, imperativi *puta* fortunam persequamur. Qui cum per aliquod temporis spatium in usu fuisset, eadem illa compositionis lege in *ut puta*[1] transiit. Itaque duobus imperativis idem accidit. Quorum primam originem et vim obliti Romani ut et *velut* et *ut puta* novarent, fortasse *sicut* illius analogia commoti sunt. Ceterum conferendi sunt *ilicet*, *scilicet*, imperativi obscurati.

§ 9. Postquam omnes locos absolvimus, qui ad rem demonstrandam momenti esse possunt, restant nonnulli versus, in quibus diversis de causis aut *vel* delendum aut alio instrumento criticis sollemni opus est.

Amph. 443 sqq. Tam consimilest atque ego.
Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum vel labra,
Malae, mentum, barba, collus: totus;

rectissime Langenus adnotat: „vel liesse sich der Bedeutung nach vielleicht rechtfertigen, aber höchst auffallend ist die ver-

1) Sen. epp. 47, 15; nat. quaest. 2, 2, 3. Im primis autem iuris consulti hoc adverbio uti amabant. Cf. Kalb, Roms Juristen p. 25 et 130; Krebs-Schmalz, Antibarbarus II p. 391 sq. Ceterum iam Woelfflinius *puta* et *ut puta* in comparationem vocavit, Archiv. lex. VIII p. 296.

einzelte Conjunktion zwischen so vielen Substantiven", itaque reficiendum putat *frons*. Merc. 310, quem locum Leo citat, in comparationem vocari non potest, nam ibi et saepius *vel* interposito substantiva disiunguntur et altera persona appellatur. Birtius mihi benigne coniecturam suam *oculi nasum palpebra* (sc. neutrum pluralis) tradidit; palpebrae enim oculis nimirum vicinae; labra locum non haberent nisi post malas. Vixque aliud verbum invenitur, cuius litterae cum traditis accuratius consentiant. Praeterea litterae *v* et *p* saepius commutantur (cf. Birt Mus. Rhen. t. 52 suppl. p. 78).

Bacch. 1068 sq.

Hoc est incepta efficere pulcre: veluti mihi
Evenit, ut ovans praeda onustus cederem;

pro *veluti* codicum Bothius *vel* coniecit; sed Langeni verba omnino comprobo: „sachlich halte ich weder vel noch veluti für möglich; es ist vorher keine allgemeine Behauptung aufgestellt, die durch ein einzelnes Beispiel bewiesen resp. erläutert werden soll; sondern das hoc weist deutlich darauf hin, dass Chrysalus eben nur an den einen Vorfall denkt, der auch im folgenden Verse Erwähnung findet". Nonnullam veritatis speciem Leonis coniectura habet:

Hoc est incepta efficere pulcre: bellule
Mi evenit e. q. s.

Capt. 88 sqq.

Et hic quidem hercle, nisi qui colaphos perpeti
Potest parasitus frangique aulas in caput,
Vel ire extra portam Trigeminam ad saccum licet;

ubi cum Guieto *vel* delere mavelim quam cum Bothio et *ire* delere et *ilicet* pro *licet* conicere. Utrum Klotzius (altröm. Metrik p. 83) adhibito accentu *vel ire éxtra* traditam lectionem iure servaverit necne, non diiudico.

Capt. 832

Priusquam pultando vel assulatim foribus exitium adfero

Nonio auctore *vel* rectissime deletum est, nam pessime metrum turbat.

Curc. 15 sqq.

Huic proxumum illud ostiumst oculissimum.
Salve, valuistin, ostium oculissimum? —

Caruitne febris te heri vel nudius tertius
Et heri cenavistine? — Deridesne me?

versum 17 Langenus ut deleret his argumentis commotus est: „vel ist an dieser Stelle ganz unplautinisch und überhaupt ohne vernünftigen Sinn. Dazu kommt der höchst seltsame Ausdruck caruitne te febris, so dass man stark versucht ist, den Vers zu tilgen, woraufhin sich et heri cenavistine im Munde des Palinurus durchaus passend an die vorhergehende Frage des Phaedromus anschliessen würde e. q. s." Quae argumenta mihi ut Langeno adsentirem persuaserunt, neque contra ea Leo quicquam effecit, cum et post *valuistin* Palinuri nomen insereret et ad *vel* adnotaret: *vel i. e. vel*, *si febris tua quartana est nudius tertius.* Id quidem mihi recte sensisse Leo videtur aut bis legendum esse *oculissimum* aut verba *ostium occlusissimum* servo attribuenda esse. Nam si post *oculissimum occlusissimum* repetitur, sane deridendi causa dictum est, itaque a Palinuro. Equidem bis *oculissimum* scribere Festi glossa ad utrumque versum adhibita malim. Deinde mihi v. 17 ab interpolatore recentiore interpositus esse videtur, qui causam cur ianua cenare fortasse non potuisset desiderabat et Plauti neglegentiam se emendare posse sperabat. Ceterum conexus, qui est inter verborum formas *valuisti* et *cenavisti* easdem personas exhibentes, hoc versu pessime tollitur. Summi autem momenti est, quod *vel* hic in sententia interrogativa usurpatur, ubi omnino locum non habet (cf. supra p. 23); nam si quis interrogat, ex sua sententia interrogatum conformat. Itaque hic et Most. 356 quod traditur *vel*, contra naturam suam pugnat.

Men. v. 1054 traditus est sic:

Quom ego accurro teque eripio vel impugnando ingratiis;

vel quod neque ad sensum neque ad metrum quadrat, a Camerario e textu remotum est atque emendatum *vi pugnando.* Ego malim *vei impugnando*, cf. Merc. 317 sqq.: hoc scilicet loco Demipho Lysimacho se amare confessus veretur, ne ille se castiget; Palatini exhibent:

Nihil est iam quod tu mihi suscenseas:
Fecere tale ante alii spectati viri.
319 Humanum amarest, humanum autem ignoscerest:
Ne sis me obiurga, hoc non voluntas me impulit;

pro altera versus 319 parte codex A praebet: ***atque id vel optingit deum***, ubi ***vel*** Gertzius emendavit in ***vei***. Leo affirmat diiudicationem inter utramque versionem difficilem esse, quia utraque ad versum insequentem quadret. Quid, si ambas retinemus et locum totum sic constituimus?

Nihil est iam quod tu mi suscenseas:
Fecere tale ante alii spectati viri.
Humanum amarest, atque id vei optingit deum.
Humanum amarest, humanum autem ignoscerest.
Ne sis me obiurga, hoc non voluntas me impulit.

Sententiarum progressus hic evadit: Spectati viri iam idem fecerunt, nam humanum amare est, praesertim cum vi deum optingat. Eodem modo autem quo amare et ignoscere humanumst; noli igitur me obiurgare. Quae cum ita sint, quia duo insequentes versus ex eisdem incipiunt verbis, facillime intellegitur, quo modo alia codicum classis alium versum praetermiserit.

Most. 356 sqq.

Ubi sunt isti plagipatidae ferritribaces viri
Vel isti, qui hosticas trium nummum causa subeunt sub falas,
Ubi pol cuique denis hastis corpus transfigi solet;

Langenus adnotat: „Tranio sucht jemanden, der sich für ihn kreuzigen zu lassen bereit sei: ubi sunt isti plagipatidae ferritribaces viri; da das jedoch Sklaven sind, die Strafen, aber vielleicht nicht den Tod tapfer aushalten, so passen ihm diese noch nicht recht und er fährt deshalb fort vel (= oder vielmehr) isti qui e. q. s.; das sind solche, die er gebrauchen kann, die bereit sind, sich dem Tode auszusetzen“. Quod mihi argutius iudicatum esse videtur. Quia et in versu 356 et in versu 357 codices inter *vel* et *ubi* fluctuant, ego utrobique *ubi* scribendum esse censeo, ita ut gravis anaphora exsistat. De interrogativa enuntiati forma vide ad Curc. 17 (p. 67).

Most. 410

Nam quoivis homini vel optumo vel pessumo;

quem versum interpolatum esse rectissime cognovit Ritschelius.

Poen. 530

Vinceretis cervom cursu vel gralatorem gradu;

quem versum contra codices *CD* (*B* praebet *el*) et Varronem de l. l. VII 69 Paulo auctore (p. 97 M.) sic scribendum esse censeo

Vinceretis cursu cervas et gralatorem gradu.

Cist. 402 ex scripturae in Ambrosiano reliquiis nil erui potest nisi *vel*.

Omnia iam *vel* particulae exempla, quae in Plautinis comoediis tradita sunt, praeter oculos nostros praeterire vidimus.[1] Atque cum *aut* colligationis usum in memoriam revocamus, elucere puto, quantum intersit inter utriusque particulae vim et significationem. Errat igitur Goetzius, si Stich. v. 152 pro *aut* temere *vel* substituit, ut hiatum tolleret. Eodem modo falso Schoellius Capt. 665

Decet innocentem vel servom atque innoxium

et Capt. 912

Quasi lupus esuriens timui, ne vel in me faceret impetum

versus quos corruptos esse putat, *vel* interposito sanare conatur. Erravit et Ritschelius, si codicum lectione turbata Most. v. 241 sq. sic constituit:

Edepol si vel summo Iovi eo argento sacruficassem,
Pro illius capite quod dedi, numquam aeque id bene locassem.

Nam exiguo exemplorum numero excepto *vel* particulae usum Plautinum eum esse confirmare licet, ut verbi *velle* natura ubique subaudienda sit atque eius maxime qui appellatur voluntas in ea vocula respiciatur.

Progrediamur iam ad Terentium.

VI. Usus Terentianus.

De diverso Plauti et Terenti genere dicendi multa iam scripta et dicta sunt. Quae diversitas facillime explicatur et intervallo temporis, quod inter illos erat, et ea ipsa causa, quod alter plebis cotidianum sermonem sibi assumpsit, alter quamvis *populo ut placerent quas fecisset fabulas* operam daret, tamen summo studio id egit, ut sermone urbano et ad sublimes suas familiaritates apto uteretur. Quamvis igitur diversum hac una

---

1) Particularum exempla quatenus in prologis exstant vide infra sub capite VII.

ex parte Terenti et Plauti genus dicendi esse inter omnes constet, utrumque idem fere tempus si non genuit, at tamen clarum reddidit: idem fere annus, qui Plautum abripuit, Terentium nascentem vidit. Qua de causa e recta via non aberrabimus, si multis in rebus consensum quoque inter Plautum et Terentium fuisse statuimus. Congruit vero et verborum quae adhibita sunt copia magnam partem et copulatio sive verborum sive sententiarum et multa alia, quae enarrare longum est. Videamus iam, quid ex usu *aut* et *vel* particularum Plautino et Terentiano, si inter se componuntur, effici possit.

In universum haec ratio inter Plautum et Terentium intercedit: Plautus conscripsit versus circa 21400, scilicet earum fabularum, quae aetatem tulerunt, Terentius autem c. 7000. Quodsi apud Plautum 280 exempla *aut* et 90 *vel* particulae invenimus et ex numeris tantum versuum conclusionem facimus, Terentium, si quidem apud eum eadem ratio valebat, $^{280}/_{3} = 93$ *aut* et $^{90}/_{3} = 30$ *vel* exhibiturum fuisse exspectamus. Revera autem *aut* centies undequinquagies, *vel* duodevicies apud Terentium legimus, ita ut poetam *aut* multo saepius, *vel* autem paulo rarius quam Plautum usurpasse videamus. Conferre licet, quod *sis* cum Plautus saepissime usurpavisset, Terentius non adhibuit nisi octies (Eun. 311. 756. 799; Heaut. 212. 369. 374; Phorm. 59; Ad. 766) et semel *audi si vis* (Ad. 184). Quod postquam praemonui, rem ita instituam, ut ea quae in duobus antecedentibus capitibus de singulis in usu particularum generibus dixi, non repetam, sed ad superiorum capitum quae respondent paragraphos provocem.

Sequuntur iam primum, quae in Terenti comoediis exstant *aut* particulae exempla.

§ 1 = cap. IV § 1: *aut* strictam alternationem indicat.

Andr. 208

Quae (*sc.* nuptiae) si non astu providentur, me aut erum pessum dabunt.

Heaut. 279

Hic sciri potuit aut numquam alibi e. q. s.

Heaut. 995 sq.

ad misericordiam ambos (*sc.* parentes) adduces cito
Aut scibis cuius sis (*sc.* non eorum, qui parentes tui nominantur);

quid sit eventurum, e Clitiphonis arbitrio non pendet.

Phorm. 423 sqq. Omnia haec

Illum (*sc.* filium) putato, quae ego nunc dico, dicere:
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo;

quod per ambages quasi expressum est; Demipho haec dicit: Strictam disiunctionem pono; aut tu ea, quae fili verbis tibi propono, accipis aut ego illum una cum uxore domo expellam.

Phorm. 551 sq.

Quoquo hinc asportabitur terrarum, certumst persequi
Aut perire.

Hec. 299

Tum matrem ex ea re me aut uxorem in culpa inventurum arbitror.

§ 2 = cap. IV § 2: idem *aut* significat, si bis ponitur.

Andr. 265

Sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa aut de illa me adversum hunc loqui.

Andr. 463

Utinam aut hic surdus aut haec muta facta sit.

Eun. 91 sq.

utinam esset mihi
Pars aequa amoris tecum et pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem ut mihi dolet
Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.

Eun. 219

Nam aut iam revortere aut mox noctu te adiget horsum insomnia;

sc. alterum contra tuam ipsius voluntatem amoris acritate facere cogeris.

Eun. 529

Aut dicat quod volt aut molesta ne siet.

Heaut. 325

Aut haec cum illis sunt habenda aut illa cum his mittenda sunt.

Heaut. 420 sq.

Aut ego profecto ingenio egregio ad miserias
Natus sum, aut illud falsumst, quod volgo audio e. q. s.

Phorm. 483

Nam per eius unam, ut audio, aut vivam aut moriar sententiam.

Phorm. 809

una omnis nos aut scire aut nescire hoc volo.

Hec. 74 sq.

Eheu me miseram, cur non aut istaec mihi
Aetas et forma est aut tibi haec sententia?

Hec. 253 sq.

Siquid est peccatum a nobis, profer:
Aut ea refellendo aut purgando vobis corrigemus.

Hec. 480

Segreganda aut mater a me est, Phidippe, aut Philumena.

Ad. 234 sq.

ut sit satius perdere
Quam aut nunc manere tam diu aut tum persequi.

§ 3 = cap. IV § 3: *aut* ad imperativum accedit. Ceterum de imperati asperitate cf. cap. IV § 3 extr.

Hec. 698

Redduc uxorem aut quam ob rem non opus sit cedo.

Ad. 123

Postremo aut desine aut cedo quemvis arbitrum;

quae est stricta disiunctio, cuius tantum ad alteram partem *quemvis* referendum est. *Aut* duplicis cum imperativo coniuncti apud Plautum nullum exemplum exstat.

§ 4 = cap. IV § 4: *aut* simplicem disiunctionem exhibet.

Andr. 83 sq.

observabam mane illorum servolos
Venientis aut abeuntis.

Andr. 440 sq.

Nihil hercle (*sc.* nuptiae molestae sunt): aut, si adeo, biduist aut tridui
Haec sollicitudo.

Eun. 184

Profecto non plus biduom aut .... Ph. Aut? Nihil moror.

Eun. 403 sq.

Tum sicubi eum satietas
Hominum aut negoti siquando odium ceperat e. q. s.

Heaut. 62 sq.

annos sexaginta natus es
Aut plus eo, ut conicio.

Heaut. 132

Quem pariter uti his decuit aut etiam amplius.

Heaut. 725 sqq.

saepe obsecrans me ut veniam frustra veniet,
Aut cum venturam dixero et constituero ...
Decipiam ac non veniam.

Phorm. 227 sq.

Em, nunc ipsast opus ea, aut, siquid potest,
Meliore et callidiore.

Phorm. 271

Ex qua re minus rei foret aut famae temperans ...

Phorm. 275 sqq.

nostran culpa east an iudicum,
Qui saepe propter invidiam adimunt diviti
Aut propter misericordiam addunt pauperi?

Phorm. 735 sq.

Certe edepol, nisi me animus fallit aut parum prospiciunt oculi,
Meae nutricem gnatae video.

Hec. 421

Dies triginta aut plus eo in navi fui.

Hec. 550 sq.

Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret
Exeuntem aut intro euntem ad amicam.

Ad. 349

neque rem ullam intercessisse illa aut me indignam.

Ad. 708

Si frater aut sodalis esset, qui magis morem gereret?

§ 5 = cap. IV § 5: eadem res, si *aut* saepius ponitur.

Andr. 333 sq.

Nunc siquid potes aut tu aut hic Byrria,
Facite fingite e. q. s.;

si Plautinum usum pro lege adhibemus, *vel* hic nullo modo stare posset, nam agitur de ea quaestione, num quid fingere possint, non de ea, num velint.

Heaut. 86

Aut consolando aut consilio aut re iuvero;

cf. Pseud. 19 *iuvabo aut re aut opera aut consilio bono.*

Ad. 32 sq.

Uxor, si cesses, aut te amare cogitat
Aut tete amari aut potare atque animo obsequi;

hoc loco si *aut-aut-aut-atque* inter se respondent, ita intellegendum est, ut *animo obsequi* ad tria quae antecedunt verba (*amare*, *amari*, *potare*) respiciat. Supplendum fere: *atque omnino.*

Ad. 36 sqq.

Quibus nunc sollicitor rebus! Ne aut ille alserit
Aut uspiam ceciderit aut praefregerit
Aliquid.

§ 6 = cap. IV § 6: *aut-aut = modo-modo.*

Andr. 86 sqq.

Phaedrum aut Cliniam
Dicebant aut Nicaretum: nam hi tres tum simul
Amabant;

qui versus in hunc sensum accipiendi sunt: modo hunc servum interrogat modo illum, illi vero discrepant nominantes aut Phaedrum aut Cliniam aut Nicaretum. Demonstratur hoc exemplo, qua via duplicatum *aut* sibi assumere potuerit significationem particularum *modo-modo.*

Andr. 55 sqq.

Quod plerique omnes faciunt adulescentuli,
Ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos
Alere aut canes ad venandum aut ad philosophos:
Horum, ille nihil egregie praeter cetera
Studebat et tamen omnia haec mediocriter.

Heaut. 68 sq. quin te in fundo conspicer
Fodere aut arare aut aliquid ferre denique;

cf. usum Plautinum Truc. 52, p. 30.

Heaut. 440 sq.

Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis
Aut largitate nimia aut parsimonia.

Heaut. 503 sqq

Ita comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant et diiudicent
Quam sua? An eo fit, quia re in nostra aut gaudio
Sumus praepediti nimio aut aegritudine?

Phorm. 243 sq.

Pericla, damna peregre rediens semper secum cogitet:
Aut fili peccatum aut uxoris mortem aut morbum filiae.

§ 7 = cap. IV § 9: *aut* interiecto singula verba corriguntur.

Andr. 41

Si tibi quid feci aut facio quod placeat e. q. s.

Andr. 139

Quid feci? Quid commerui aut peccavi, pater?

Andr. 143

Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?

Andr. 236

Hocinest humanum factum aut inceptum?

Andr. 245

Adeon hominem esse invenustum aut infelicem quemquam, ut ego sum!

Andr. 256 sq.

censen me verbum potuisse ullum proloqui aut
Ullam causam, ineptam saltem e. q. s.

Andr. 277 sq.

Adeon me ignavom putas,
Adeon porro ingratum aut inhumanum aut ferum.

Andr. 509

Ne tu hoc posterius dicas Davi factum consilio aut dolis;

adnotatio Spengelii *aut* pro *vel* positum esse, quoniam enuntiatum negetur, falsa est; neque enim intellexit corrigendi vim, quam particula exhibet.

Andr. 625

Hocinest credibile aut memorabile e. q. s.

Andr. 921

Ego istaec moveo aut curo?

Eun. 96 sq.

Non pol, quo quemquam plus amem aut plus diligam,
Eo feci e. q. s.

Eun. 104

Sin falsum aut vanum aut finctumst e. q. s.

Eun. 468

Perpulcra credo dona aut nostri similia;

quod vertendum est: „die Geschenke sind sehr schön oder, um mich anders auszudrücken, sie gleichen den unsrigen“. Thraso autem miles perpulcrum sane donum dederat, scilicet virginem illam civem Atticam.

Eun. 565

Quid ego eius tibi nunc faciem praedicem aut laudem?

Eun. 616

Nequam ille hodie insanus turbam faciat aut vim Thaidi.

Eun. 1025

Qua spe aut quo consilio huc imus?

Heaut. 152

si quis recte aut commode
Tractaret.

Heaut. 657 sq.

Quid nunc suspicare aut invenis
De illa?

Heaut. 707

Satin sanus es aut sobrius?

sic scribendum est videlicet. Nam quamvis optimus Bembinus *et*, consensus tantum reliquorum codicum *aut* exhibeat, *aut* hoc loco Terentianum usum postulare mihi persuasum est.

Heaut. 912

Quemquamne animo tam comi esse aut leni putas e. q. s.

Heaut. 1027

Quod peto aut volo.

Phorm. 191

Quam hic fugam aut furtum parat?

Phorm. 432

Aut te visum aut auditum velim?

ubi alterum tantum *aut* ad hanc quaestionis partem spectat.

Phorm. 580

Quo pacto aut unde mihi sit, dicundum ordinest.

Phorm. 952

Quo pacto aut unde haec hic rescivit?

Phorm. 783

Nequid vereatur Phormionem aut eius orationem.

Phorm. 848

Num mirum aut novom est e. q. s.

Phorm. 1025

Quid mihi hic adfers, quam ob rem exspectem aut sperem porro non fore?

Hec. 549

Tun prospicere aut iudicare nostram in rem quod sit potes?

Ad. 38 sq.

vah quemquamne hominem in animo instituere aut
Parare quod sit carius quam ipse est sibi?

Ad. 55 sq.

Nam qui mentiri aut fallere insuerit patrem aut
Audebit, tanto magis audebit ceteros;

quos versus ita ut omnibus codicibus traditi sunt conservaverim (nisi quod *aut* alterum in initio versus ante *audebit* exstat), quamvis tempora *insuerit* et *audebit* inter se discrepantia nec non et collocatio vocis *aut* Umpfenbachium commoverint, ut asterisco apposito corruptelam indicaret. Micio vero quasi ipse se corrigit: *qui insuerit aut audebit* i. e. „wer sich gewöhnt hat oder — ich will mich lieber schärfer so ausdrücken — es (sc. jetzt zum ersten Male; quod est consuetudinis contrarium) im Einzelfall wagen wird". De particulae in fine metri collocatione iam satis convenit (cf. Appuhn l. d. p. 77). Fleckeisenus dedit in altera editione huius anni:

Nam qui mentiri aut fallere insuerit patrem,
Haud dubie tanto magis audebit ceteros.

Ad. 65 sqq.

Et errat longe mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud quod amicitia adiungitur;

ceterum confer ad hanc Micionis sententiam verba Peniculi parasiti Men. 79 sqq.: *Homines captivos qui catenis vinciunt...*, *nimis stulte faciunt mea quidem sententia.*

Ad. 789

Ei mihi, quid faciam? Quid agam? Quid clamem aut querar?

§ 8 = cap. IV § 11: eadem res nisi quod utrimque complura verba stant.

Andr. 51 sqq.

Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia, et
Liberius vivendi fuit potestas — nam antea
Qui scire posses aut ingenium noscere,
Dum aetas metus magister prohibebant? e. q. s.

Andr. 196 sqq.

Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis
Fallaciae conari, quo fiant minus,
Aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus e. q. s.

Andr. 213 sq.

Si senserit, perii aut, si lubitum fuerit, causam ceperit,
Quo iure quaque iniuria praecipitem in pistrinum dabit;

perire enim et *in pistrinum* vel *in molam dari* comoediarum servis unum atque idem est.

Eun. 14 sq.

Dehinc ne frustretur ipse se aut sic cogitet:
‚Defunctus iam sum, nihil est, quod dicat mihi';

se frustrari atque hoc *cogitare* idem valent; nam se ipse frustratur, si falsum istud cogitat.

Andr. 326 sqq.

Nunc te per amicitiam et per amorem obsecro,
Principio ut ne ducas. — Dabo equidem operam. — Sed si id non [potest
Aut tibi nuptiae haec sunt cordi —

Eun. 89 sq.

Sane quia vero haec mihi patent semper fores
Aut quia sum apud te primus.

Eun 437 sq.

Scin, siquando illa mentionem Phaedriae
Facit aut si laudat, te ut male urat?

Eun. 1044

Quid commemorem primum aut laudem maxume?

Heaut. 671 sq.

Nam quod de argento sperem aut posse postulem me fallere
Nihil est.

Phorm. 12 (cf. Eun. 14)

Nunc si quis est qui hoc dicat aut sic cogitet e. q. s.

Phorm. 305 sq.

hominem commonstrarier
Mihi istum volo aut ubi habitet demonstrarier;

cf. Epid. v. 536 (supra p. 45 sq).

Phorm. 408

Potius quam lites secter aut quam te audiam e. q. s.

Phormio enim id ipsum ei suaserat, ut rem iterum agendam iudicibus traderet.

Phorm. 690 sq.

Quid minus utibile fuit quam hoc ulcus tangere
Aut nominare uxorem?

ipsa enim uxor ulcus est, quod nominatum sive tactum dolet.

Hec. 304 sqq.

Sed magnum nescio quid necesse est evenisse Parmeno,
Unde ira inter eas intercessit, quae tam permansit diu. —

Par. Aut quidem hercle parvom, si vis vero veram rationem exsequi.
Non maxumas, quae maxumae sunt interdum irae, iniurias
Faciunt: nam saepe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,
309 Cum de eadem causa est iracundus factus inimicissimus:

quamvis versu 306 optimus codex Bembinus et omnes reliqui *haud* tradant, non dubium est, quin Bentleii egregiam coniecturam secuti *aut* scribere debeamus, quod non solum aptius ad contextum quadrat, sed sensu totius loci omnino postulatur. Parmeno enim respondet: *Sane magnum quid necesse est evenisse aut quidem hercle parvom* i. e. „oder vielmehr um mich richtiger auszudrücken“.

Hec. 643 sq.

sed quid mulieris
Uxorem habes aut quibus moratam moribus?

Hec. 655 sq.

si ex me illa liberos vellet sibi
Aut se esse mecum nuptam e. q. s.

Hec. 729 sq.

Videndum est ne minus propter iram hanc impetrem quam possiem,
Aut nequid faciam plus (*sc.* propter iram), quod post me minus fecisse satius sit.

Ad. 28 sq.

si absis uspiam
Aut ibi si cesses e. q. s.

Ad. 145 sq.

verum si augeam
Aut etiam adiutor sim eius iracundiae e. q. s.

Ad. 601

Si ita aequom censes aut si ita opus est facto, eamus.

Ad. 877 sq.

ecquid ego possiem
Blande dicere aut benigne facere....

§ 9 = cap. IV § 13 et 15: eadem res, nisi quod oratio habet gradum ad superiora vel ad inferiora tendentem.

Phorm. 931 sq.

etiam nunc credis te ignorarier
Aut tua facta adeo?

i. e. „oder gar“.

Hec. 524

Vir ego tuos sim? Tu virum me aut hominem deputas adeo esse?

i. e. „oder auch nur“.

§ 10 = cap. IV § 16: enuntiata directe interrogativa *aut* interposito coniunguntur.

Andr. 343

Sed ubi quaeram? Aut quo nunc primum intendam?

sic scribunt freti auctoritate codicis Victoriani, qui antiquitate et dignitate proxime ad Bembinum accedit. Bembinus enim hoc loco deficit.

Andr. 492 sq.

O Dave, itan contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?

Eun. 153 sq.

Egon quicquam cum istis factis tibi respondeam?
Aut ego nescibam, quorsum tu ires?

Eun. 349 sq.

Nostin quae sit? Dic mihi. Aut
Vidistin?

Eun. 575

Num parva causa? Aut prava ratiost?

Eun. 643

Ubi ego illum ... inveniam? Aut ubi quaeram?

Eun. 650

quid festinas? Aut quem quaeris?

Eun. 797

Tibi illam reddat? Aut tu eam tangas?

Eun. 821

Eunuchus abiit: quam ob rem? Aut quid factumst?

Eun. 950

Quid ita? Aut quid factumst?

Heaut. 595 sq.

ecquid ... egisti, Syre? Aut
Repperisti?

Heaut. 674

Quid agam? Aut quid comminiscar?

Phorm. 192

Sed ubi Antiphonem reperiam? Aut qua quaerere insistam viam?

Phorm. 234

Quid mihi dicent? Aut quam causam reperient?

Phorm. 418 at nos unde? Aut quamobrem?

Phorm. 431 sq.

Egon tuam expetam
Amicitiam? Aut te visum aut auditum velim?

Phorm. 550

Quam ob rem? Aut quidnam facturu's? cedo.

Phorm. 574

Pol me detinuit morbus. — Unde? Aut qui?

Phorm. 626

Quid hic coeptat? Aut quo evadet hodie?

Phorm. 704

Quam ob rem? Aut quid dicet?

Phorm. 728 sq.

Quid agam? Quem mihi amicum inveniam misera? Aut quo consilia [haec referam?
Aut unde auxilium petam?

Hec. 72 sq.

Iniurium autem est ulcisci adversarios?
Aut qua via te captent eadem ipsos capi?

Hec. 355

Quid tu igitur lacrimas? Aut quid es tam tristis?

Hec. 628

Quid respondebo his? Aut quo pacto hoc aperiam?

Hec. 825

Quid exanimatu's obsecro? aut unde anulum istum nactu's?

sic scribo Fleckeiseni priorem editionem secutus. Tradidit autem Bembinus: *obsecro es aut anulum*, ceteri: *es examinatus obsecro aut unde anulum. Aut* quod omnibus codicibus reservatum est, cur nos non reservamus? Umpfenbachius vero eumque secuti Dziatzko et Fleckeisenus in altera editione versum ita instruxerunt:

Quid exanimatus obsecro es? Unde anulum istum nactu's?

Hec. 873 sq.

Ere, licetne scire ex te, hodie quid sit quod feci boni?
Aut quid istuc est quod vos agitis?

Ad. 149 sq.

Quam hic non amavit meretricem? Aut cui non dedit
Aliquid?

Ad. 330

quid iam credas? Aut cui credas?

Ad. 396 sq.

Sinerem illum? Aut non sex totis mensibus
Prius olfecissem e. q. s.

Ad. 677 sq.

sed quid ista, Aeschine,
Nostra? Aut quid nobis cum illis?

Ad. 689 sq.

Numquid circumspexti? Aut numquid tute prospexti tibi,
Quid fieret?

Ad. 707

Quid hoc est negoti? Hoc est patrem esse? Aut hoc est filium esse?

§ 11 = cap. IV § 17: sententiae indirecte interrogativae *aut* interiecto copulantur.

Andr. 404

Reviso quid agant aut quid captent consili.

Eun. 12 sq.

unde is sit thensaurus sibi
Aut unde in patrium monumentum pervenerit.

Eun. 543

neque scio, quid dicam aut quid coniectem.

Eun. 554 sq.

Qui me ... rogitando obtundat, enicet,
Quid gestiam aut quid laetus sim.

Heaut. 1008

At si rogem iam, quid est quod peccem aut quam ob rem hoc facias:
nescias ...

Hec. 675 sq.

Ignarum censes tuarum lacrimarum esse me?
Aut quid sit id, quod sollicitere ad hunc modum?

Hec. 766 sq.

Verum hoc te moneo unum, qualis sim amicus aut quid possiem
Potius quam inimicus, periclum facias.

§ 12 = cap. V § 3. De *aut* iam actum est. Sequitur, ut ad eos locos animum advortamus, quibus *vel* Terentius scripsit. Ecce etiam Terentius *vel* cum cura ponere assolet, ubi altera persona appellatur. Ad imperativum accedit his locis:

Andr. 679 sq.

Parum succedit quod ago: at facio sedulo.
Vel melius tute reperi, me missum face;

quod vertendum est: „ich bemühe mich eifrig, habe aber wenig Erfolg. Wenn dir das lieber ist (*vel*), so denke dir etwas besseres aus und lass mich aus dem Spiel".

Eun. 319 sq.

hanc tu mihi vel vi vel clam vel precario
Fac tradas: mea nil refert, dum potiar modo;

sensus evadit hic: „die Art der Ausführung überlasse ich deinem Belieben (*vel*), mir ist das gleichgültig".

Heaut. 78 sq.

Vel me monere hoc vel percontari puta:
Rectumst, ego ut faciam: non est, te ut deterream;

vertendum est: „glaube, was du willst; jedenfalls ist es in der Ordnung, dass ich es thue".

Phorm. 143

ubi ego hinc abiero, vel occidito.

i. e. *si vis, occide illum, per me licet.*

Phorm. 988

Nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere;

ad quae lepida verba Phormio respondet:

Vel oculum exculpe: est ubi vos ulciscar probe;

i. e. „wenn du willst (sive meinetwegen) schlage mir sogar ein Auge aus, ich werde mich schon zu rächen wissen". Quo in versu iam antiquos grammaticos sapientiam suam expertos esse elucet ex Prisciani loco (XVI 7), quem supra p. 2 exscripsi. Quia enim illis temporibus *vel* imperativi natura tam funditus abolita erat, ut ne vestigium quidem relictum esset, nesciebant grammatici, quomodo usum illum obsoletum, quem sive ipsis pellectis poetis sive ex operibus compendiariis percipiebant, ad suam loquendi consuetudinem accommodarent, atque placuit eis vim illam, quam dicunt subdisiunctivam, agnoscere.

§ 13 = cap. V § 4: *vel* disiunctivum ad alteram personam directum est.

Andr. 652

Haud istuc dicas, si cognoris vel me vel amorem meum.

Andr. 904 sq.

Mitte orare, una harum quae vis causa me ut faciam monet:
Vel tu vel quod verumst vel quod ipsi cupio Glycerio;

quod perlucidum sane exemplum est, nam Crito ipse cum dicit ***una harum quae vis causa***, quasi interpretatur illa ***vel*** quae sequuntur.

Heaut. 56 sq.

Tamen vel virtus tua me vel vicinitas...
Facit ut te audacter moneam et familiariter;

quod vertendum est: „Magst du nun deine eigene Tüchtigkeit oder unsere Nachbarschaft als Grund annehmen, jedenfalls sehe ich mich veranlasst u. s. w.“

§ 14 = cap. V § 6: *vel* disiunctivum liberius usurpatur.

Andr. 265 sq.

Sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa aut de illa me advorsum hunc loqui.
Dum in dubiost animus (*sc.* huius), paulo momento huc vel illuc impellitur.

Spengelius Plauti locum (Capt. 368 sqq.) adscribit, cuius mihi quoque in mentem venerat:

Utroque vorsum rectumst ingenium meum,
Ad te atque ad illum: pro rota me uti licet.
Vel ego huc vel illuc vortar quo imperabitis.

Quae si Plauti verba conferimus, hoc sane concedendum est in Terentiano illo versu particulam partem propriae significationis amisisse. Nam cum illic duo appellentur, ad quos primum singulos *vel*, deinde ambos una *imperabitis* directum est (cf. p. 56), hic altera persona, cui eligendi optio sit, desideratur. Tamen *vel* ne hic quidem simplicem disiunctivam vim praebet, sed unum ex spectatoribus appellari nobis fingere debemus: *animus impellitur vel huc vel illuc*, sive *in quamvis sententiam.*

Heaut. 639 sq.

Nempe anui illi prodita abs te filia est planissume,
Per te vel uti quaestum faceret vel uti veniret palam;

eo, quod additum est, *per te* significatio particulae in eum sensum corroboratur, ut matrem ipsam dicentem audiamus; scilicet illa haec dixerat: *Per me vel fac quaestum vel veni palam.* Quod enuntiatum cum in orationem indirectam traductum sit, *vel* quoque servatum est, quamvis ad tertiam personam particula accedere non soleret.

§ 15 = cap. V § 7: idem accidit notioni comparativae.

Eun. 184

Tandem non ego illam caream, si sit opus, vel totum triduom?

vel eo defendi videtur, quod additum est *si sit opus*. Qui loquitur, hominem quendam, qui aut adstat aut quem sibi ipse fingit, appellat: *si opus sit*, *si postulas*, *vel hoc facere possum*. Certe autem propriae imperativi significationis memoria paulum oblitterata est. Quod idem cadit in

Eun. 179

Ego illum eunuchum, si opus sit, vel sobrius;

contrarium affirmat servus in Plauti Rud. v. 566: *Vel ego amare utramvis possum, si probe adpotus siem*.

Eun. 1081

Praeterea hoc etiam, quod ego vel primum puto;

neque hic primaria particulae vis ita est deleta, ut nihil aliud significet nisi „sogar", sed Gnatho ex eorum, quos verbis compellat, rebus loquitur: „was für euch das wichtigste ist". Nec non notandum est, quod in v. 1080 *ubi velis* antecessit.

§ **16** = cap. V § 8: *vel* = *exempli causa*. Premendum est, quod *velut* cum eodem sensu saepissime apud Plautum exstet, Terentius numquam usurpavit.

Andr. 489

Vel hoc quis non credat, qui te norit, abs te esse ortum?

Simo suspicatur Davom fallacias fingere, ne nuptiae fiant. Quam suam sententiam ut uno tantum argumento comprobet, ex omnibus partum pueri eligit: „Nimm doch von allen Belegen nur den einen! Wer sollte nicht glauben u. s. w."

Eun. 395 sqq.

Est istuc datum,
Profecto, ut grata mihi sint, quae facio omnia.
. . . . . Vel rex semper maxumas
Mihi agebat quicquid feceram: aliis non item;

sic tradit Basilicanus, Bembinus post *maxumas* addit *gratias*, quod tamen verbum ex v. 391 supplendum est. Ceterum Priscianus qui bis (XVI 7 et XVII 11) hunc versum citavit (cf. p. 2 et 3), eodem modo quo de versu Phormionis supra (p. 83) tractato temere iudicat subdisiunctivam significationem statuendam esse.

Heaut. 566 sqq.

Nam istaec quidem contumelia est,
Hominem amicum recipere ad te atque eius amicam subigitare.
Vel here in vino quam immodestus fuisti.

Heaut. 805 sqq.

Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet,
Quom invitus facias. Vel me haec deambulatio,
Quam non laboriosa, ad languorem dedit.

Hec. 58 sqq.

Per pol quam paucos reperias meretricibus
Fidelis evenire amatores, Syra!
Vel hic Pamphilus iurabat quotiens Bacchidi,
Quam sancte, ut quivis facile posset credere,
Numquam illa viva ducturum uxorem domum!
Em duxit.

Non falso igitur nec contra dicendi usum Fleckeisenus in Heaut. v. 541 legendum esse

Vel iam huic mansisset unicus gnatus domi

coniecit. Sed facilius versus sanatur, si cum Bentleio *iam* post *huic* transponimus. Nam quomodo *vel* intercidere potuerit aut cur omiserit is, qui codicem exaravit, causa inveniri vix poterit.

§ 17. Postquam omnia quae in Terenti comoediis exstant particularum exempla collegi, unum etiam adnotare me oportet, quod in hac re pusilla magni sane momenti est.

Invenimus enim *vel*

in Andria quinquies,
in Eunucho quinquies,
in Heautontimorumeno quinquies,
in Phormione bis,
in Hecyra semel,
in Adelphis omnino non.

Quem si numerorum ordinem, qui cum temporum ordine plane consentit, videmus, summo iure miramur. Terentius enim posteriore vitae tempore *vel* rarius atque rarius adhibuit. Quod quomodo explicem, nescio; nam similem Plautinarum fabularum seriem instruere non possum. Nisi forte hac in re aliquid valebunt, quae infra p. 94 ad Catullum adnotata invenies.

In universum autem hoc stabit iudicium: Si utriusque particulae usum Terentianum contemplamur, concedendum est eum cum Plautino plane consentire, nisi quod Terentius ***aut*** multo saepius, ***vel*** aliquanto rarius quam Plautus usurpavit. Quae cum ita sint, erravit mea quidem sententia Langenus, cum contendit (l. d. p. 77 extr.): „Schon bei Terenz erscheint zuweilen die ursprüngliche Bedeutung von ***vel*** verwischt"; cuius sententiae testimonia affert Eun. 397 (ubi falso „sogar" supponit); 1081; Heaut. 56; Eun. 223. Reputes, uter illis de locis rectius iudicasse videatur.

VII. De *vel* et *aut* particulis apud ceteros eiusdem et posterioris aevi poetas.

§ 1. Postquam cum Plauti et Terenti usum tractarem, omnis locos plenos citavi, quo facilius dignosci posset, quam diversa ratione particulae apud illos usurpatae essent, nunc satis lato atque firmo fundamento posito celerius procedere et citandi parsimonia uti cogor. Nam cum mihi persuasum est eam quam de particularum usu profero sententiam adfatim exemplis comprobatam esse, tum ex eis quae tractanda supersunt litterarum Romanarum fragmentis, quippe quae sententiarum conexu careant, non tantus nimirum fructus capi potest quantus ex Plauti et Terenti incolumi dicendi consuetudine. Tamen lucrum quamvis exiguum hinc quoque nos quaesituros esse spero. Itaque animo collecto ad ruinas illas nobis relictas aggrediamur et videamus, utrum sententiam nostram corroborent an refutent. Agitur vero imprimis de tragicorum et comicorum Romanorum reliquiis, quarum collectio a Ribbeckio perfecta inspicienda est (est mihi ad manum utrumque volumen tertiis curis nuper editum). Cum comicorum fragmentis ea exempla compono, quae in Plauti comoediarum prologis exstant; consulto enim ea usque adhuc retinui, quia quibus temporibus hi prologi attribuendi sint parum constat. Deinde accedunt ea, quae Baehrensius conglutinavit titulo inscripto: *fragmenta poetarum Romanorum*, coniecturis haud ita saepe felicibus insertis; praeter

alia Enni et Lucili relliquiae eas quas optamus voces nobis suppeditant. Denique ad Catulli nugas atque epyllia pervenimus, quae tandem nobis certi iudicii facultatem permittunt.

§ 2. In tragicorum fragmentis, ex quibus initium facio, *vel* particula quater nobis occurrit. De Pacuviano versu 135

Vel cum illum videas sollicitum orbitudine

nihil aliud fere praedicandum est, nisi *vel* ad alteram personam esse directum. Nescimus enim, quid antecesserit, neque certo affirmare licet, quam vim particula hoc loco praebuerit. Possis cogitare de significatione *exempli causa*, ut tale quid supplendum sit: *Quanta calamitas in homines saepissime incurrit! Vel cum illum videas* e. q. s.

In versibus Acci 133 sq.

Vel hic qui me aperte effrenata inpudentia
Praesentem praesens dictis mertare institit

de notione particulae dubitari non potest; significat enim plane *exempli causa* et huius fere modi verba antecesserunt: *Tantam impudentiam in hominibus inveniri! Vel hic qui* e. q. s.

Eodem modo post locum aliquem communem certum quoddam exemplum *velut* addito affertur Pacuv. v. 375.

Incertis incertorum fabulis hi versus (v. 49 sqq.) attribuuntur:

Aperte fatur dictio, si intellegas:
Tali dari arma, qualis qui gessit fuit,
Iubet, potiri si studeamus, Pergamum.
Quem ego me profiteor esse, mest aecum frui
Fraternis armis mihique adiudicarier,
Vel quod propinquus vel quod virtute aemulus;

eodem modo quo *si intellegas* etiam *vel — vel* ad eius qui compellatur, arbitrium provocat et sic intellegendum est: *utravis de causa mihi arma adiudicari aequum est, vel quod — vel quod.*

Restat Acci Medeae fragmentum. Pastor navem advenientem miratus talia secum volvit (v. 395 sqq.):

Ita dum interruptum credas nimbum volvier,
Dum quod sublime ventis expulsum rapi
Saxum aut procellis, vel globosos turbines
Existere ictos undis concursantibus;

videmus hic inter se respondentes *dum — dum — vel. Dum — dum* hoc loco necessario idem significat quod *tum — tum*, quam

notionem nusquam alibi exstare Goethius ad Cic. de deorum nat. II 35, 89, ubi Acci verba laudantur, affirmat. Deinde *vel* interposito tertia quaedam miraculi explicandi ratio additur atque ita quidem, ut ad ea quae de particulae usu demonstravimus hic quoque locus quadret. Nam fingit sibi pastor aliquem, quocum loquatur et cui quasi optionem dat, quid credere malit.

Aut in iisdem fragmentis multo saepius invenitur. Qui loci, quatenus perspici potest, illa tantum comprobant, quae diximus, i. e. *aut* particulam semper ex eius ipsius qui loquitur sententia intellegendam esse. Exempla quae in tragicorum fragmentis exstant sunt haec: Enn. 59. 66. 75. 173. 200. 273. 390; Pacuv. 50. 117. 118. 167. 176 (*obnoxium esse aut brutum aut elinguem putes* i. e. „oder ich will lieber sagen") 203. 205. 327. 422; Acc. 13. 17. 87. 108. 110. 125 sq. 131. 147. 218. 231. 261. 294. 397. 400. 425. 455. 457. 486. 488. 506. 576. 580. 658. praetext. 12. Semel *aut* cum imperativo coniungitur: Pacuv. 341

Aut me occide, illinc si usquam probitam gradum;

quo de versu cf. ea, quae Birtius mus. Rhen. t. 40 p. 539 extr. adnotavit. Equidem *aut* quomodo hic sit intellegendum non diiudico, nam quamvis Teucrum eis quae antecedunt verbis affirmasse se semper in Salamini insula mansurum esse eluceat, tamen qua ratione id asseverarit, nos consequi non possumus.

§ 3. Sequuntur iam ea, quae ex comicorum fragmentis et Plautinarum fabularum prologis colligi possunt exempla particulae *vel*. Nec sine gaudio duobus locis, quibus Naevius *vel* usurpavit, sententiam meam plane vidi confirmari. Legimus enim Naev. 125

An nata est sponsa praegnas? Vel ai vel nega

et 126 sq.

Vel quae sperat se nupturam viridulo adulescentulo,
Ea licet senile tractet detritum rutabulum;

si ad priorem versum conferimus Rud. v. 430 et 1331, alio interpretamento opus non erit. In altero autem loco significatio *exempli causa* proxime ad manum est Multo

minus grata haec particulae *vel* exempla se offerunt, quae in prologis Plautinis insunt:

Cas. 75 sqq.

Id ni fit, mecum pignus, siquis volt, dato
In urnam mulsi, Poenus dum iudex siet
Vel Graecus adeo vel mea causa Apulus;

ubi tamen particulae natura eatenus saltem servatur, ut tertiae personae voluntati arbitratus concedatur, atque ea re firmatur, quod et imperativus et *siquis volt* antecesserunt.

Poen. 21 sqq.

Diu qui domi otiosi dormierunt, decet
Animo aequo nunc stent vel dormire temperent.
Servi ne obsideant, liberis ut sit locus,
Vel aes pro capite dent. Si id facere non queunt,
Domum abeant e. q. s.;

cum alterum *vel* fortasse ita defendi possit, ut vertamus „oder wenn sie sitzen wollen", idem tamen priore loco positum nihil propriae notionis servavit atque iam in eundem sensum traductum est, quem exhibet *aut* in versu qui antecedit 18

neu lictor verbum aut virgae muttiant.

Tali modo Plautum particula uti potuisse conceptis verbis nego, nam si versus in cap. V § 6 compositos in comparationem vocamus, Plautum notionem eius disiunctivam a verbi *velle* natura numquam removisse elucet.

Denique de *aut* particula satis habeo versuum numeros ponere; cuius usum eundem esse, quem illustravi, ipse si placet videas. Exstat his locis: Plaut. Amph. 130; Aul. 23; Cas. 69; Poen. 18. 80 (cf. supra p. 19). Caecil. v. 27. 63. 207. 260; Sext. Turp. v. 21. 165; Titin. v. 60. 65. 102. 166; Afran. 151. 188. In Caecili Stati v. 199 sqq.

In amore suave est summo summaque inopia
Parentem habere avarum inlepidum, in liberos
Difficilem, qui te nec amet nec studeat tui.
Aut tu illum furto fallas aut per litteras
Avertas aliquod nomen aut per servolom
Percutias pavidom, postremo a parco patre
Quod sumas quanto dissipes libentius!

me *vel* exspectaturum fuisse concedo. Sed quod *aut* usurpatur, ea fortasse condicione explicatur, ut vertamus *bald — bald.*

Contra vis stricte disiunctiva praevalet in Publili Syri sententiis (6. 80. 117. 246. 382. 422. 655), ut specimen afferam v. 6

Aut amat aut odit mulier, nihil est tertium.

§ 4. Addo ea testimonia, quae ex poetarum Romanorum reliquorum fragmentis exprompta habeo. Inter quae auctoritate et gravitate longe primum est, quod Festus ex Enni annalibus nobis servavit, cum ipse de *aut* et *vel* particulis ageret (cf. eius verba supra p. 10). Exstat in Baehrensii collectione sub numero 376

Vel tu dictator vel equorum equitumque magister
Esto vel consul.

Nonne mirum est Festum ut huius particulae usum aliquo exemplo comprobet, talem sibi locum elegisse, qui eius cui ego patrocinor sententiae optimum testimonium est? Nam hoc loco *vel* cum imperativi altera persona coniunctum iam nulla interpretatione eget; accedit quod *tu* personale ei adhaeret, quo de usu supra monui p. 50 sq. Quae cum ita sint, ex Verri ipsius sententia ea quae de *vel* particulae usu demonstravi dicta esse suspicor.

Ex Lucili fragmentis

v. 573

Vel si alio opus sit, fore, ut hinc aliquo cesseris

v. 581

Persuade et transi vel da quam ob rem transeas

id certe concludi potest *vel* alteram personam compellare. In fr. 670 corruptissimo *vel* quod bis traditur, alius alio modo emendavit; sed ad quaestionem diiudicandam pertinere non videtur. Neque ex fr. 607 sic tradito:

Hoc invenisset unum ad morbum illum homini vel bellissimum

de *vel* particulae significatione certi quidquam elucet.

Aut legitur his locis: Livius Andr. fr. 9; tabula triumphatoria Ti. Semproni Gracchi v. 3 (Bähr p. 55). M. Porci Catonis carm. de moribus fr. 2. Enn. fr. 94 (v. 12). 234. 270. 342. 389; Lucil. fr. 8. 14. 22. 169. 242 (v. 6). 333. 386 (v. 3). 405. 464. 491. 553. 692. 763. 764. 821; Acc. fr. 26; Valer. Aedit. fr. 2. (v. 4); Laevi fr. 18 (v. 1 et 4); Ciceronis fr. 3 (v. 23 et 25). 39 (v. 3 et 4); Varronis Atac. fr. 22 (v. 4). Quae cum exempla legum a nobis latarum terminis plane cohibeantur

omnia, minus apta visa est nutricum cantilena scholio ad Pers. III 16 tradita quam Bährensius p. 34 sic inducit:

lalla, lalla, lalla! i, aut dormi aut lacta!

Nam nutrices si ut infantes lenirent, sono tam acri usae essent, vix iratas pullorum mentes pacaturas fuisse puto. Inest enim aliquid ferociae huic *aut* cum imperativis copulato, quod vocatur comminativum (cf. supra p. 24 et 4). Itaque cum Persi editionem, quam fecit O. Jahnius, tertiis curis a Buechelero recognitam inspicerem, ad Persi versum a scholiasta haec adnotata inveni: „*quae* (*sc. nutrices*) *infantibus*, *ut dormiant*, *saepe dicere solent* ‚*lalla*, *lalla*' *id est aut dormi aut lacta*, *quod quasi irati infantes nolunt*'. Quamvis igitur doleat nobis bellulam istam cantilenam e manibus eripi nisi quod *lalla*, *lalla* illud relinquitur, quod nos et ipsi pueruli a nutriculis olim nostris audivimus, tamen codicum auctoritati concedendum est nutrices parvorum Romanorum ab illo *aut* — *aut* se abstinuisse, veritas fortasse, ne superbis maioribus superbiores alumni tam stricto imperato ad vagiendum incitarentur. Hic autem sensus scholii est : *lalla lalla* modo significat *dormi*, modo significat *lacta*.

§ 5. Ignoscent mihi, spero, manes Catulli, si eius carmina cum pullis pipiantibus et nutricum cantilenis compono. Sed tamen hic mihi opportuna occasio datur, ut loquendi usum eius in comparationem vocem. Atque valde gaudeo, quod integer et incolumis ille testis mihi auxilio subvenit: 55, 15 sqq.

15 Dic nobis, ubi sis futurus, ede
Audacter, committe, crede luci ...
21 Vel si vis, licet obseres palatum,
Dum veri sis particeps amoris.

Praeclare hoc Catulli testimonio confirmatur, quod de natura particulae *vel* demonstrare conatus sum. Nam videmus ipsum sermonem cottidianum, quem ille in carminibus pangendis minime sprevit, etiam tum conscium fuisse, qua ex origine *vel* natum atque qualis significatio eius propria sit et principalis. Quod idem illustratur c. 12 v. 6 sqq.

crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit.

Cetera exempla, quae Catullus suppeditat, sane minus utilia sunt atque particulae veram faciem ut ita dicam fuco oblitam nobis monstrant:

c. 17 v. 5 sq.

Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsili sacra suscipiantur;

c. 23 v. 3 sq.

Verum est et pater et noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt;

c. 25 v. 1 sqq.

Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo
Vel anseris medullula vel imula auricilla
Vel pene languido senis situque araneoso...
Remitte pallium mihi meum e. q. s.

Illud *vel* quod c. 55 v. 9 traditur, acciri iam non potest, quia Birtii coniectura radicitus remotum est (videas eius proemium De amorum simulacris p. 3).

Restat igitur, ut de *aut* particulae usu referam. Quae his locis invenitur: 5,12. 7,7. 21,2 sq. 22,4; 10; 13. 23,13. 24,2 sq. 26,3. 29,8; 14; 21. 39,10 sqq. 42,14. 60,2. 63,55. 64,102; 106; 121 sq.; 262; 394. 67,40. 68,38; 42. 69,4. 71,2. 74,2. 76,7 sq.; 17; 24. 91,4. 107,7. 110,5. Accedunt tria exempla strictae disiunctionis, quibus poeta, id quod iamborum sive hendecasyllaborum proprium est, minaciter in inimicos invehitur:

c. 12 v. 10 sq.

Quare aut hendecasyllabos trecentos
Exspecta aut mihi linteum remitte;

c. 69 v. 9 sq.

Quare aut crudelem nasorum interfice pestem,
Aut admirari desine, cur fugiunt;

c. 103

Aut, sodes, mihi redde decem sestertia, Silo,
Deinde esto quamvis saevus et indomitus:
Aut, si te nummi delectant, desine quaeso
Leno esse atque idem saevus et indomitus.

Contra in c. 72 v. 1 sq.

Desine de quoquam quicquam bene velle mereri
Aut aliquem fieri posse putare pium

et c. 82 v. 1 sqq.

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum
  Aut aliud siquid carius est oculis,
Eripere ei noli e. q. s.

ea particulae vis agnoscenda est, quam vertimus: „oder um mich anders auszudrücken“.

Premendum vero est, quod in epylliis et elatioris stili carminibus Catullus numquam *vel* usurpavit, immo anxie et consulto evitasse videtur. In eis vero, quas proprie nugas appellat, conscribendis libenter ea particula utitur. Quae cum ita sint, concludendum est poetam *vel* colligationem eodem modo quo et alia verba ut nimis vulgarem non dignam putasse, quam in epyllia et elegos reciperet. Fortasse eadem causa Terentius commotus est, ut quo urbaniorem et politiorem sermonem suum reddidit, eo magis *vel* particulam e comoediis suis exulem eiceret (vide supra p. 86).

Lucretium qui hic desideret, in capite quod sequitur extremo quaerat.

VIII. De *vel* et *aut* particulis in prosa oratione obviis.

§ 1. Hactenus de poetis, qui tempore liberae rei publicae floruerunt. Omnis autem lex invertitur vel totus quasi conspectus commutatur, si prosae quam dicimus orationis reliquias antiquissimas inspicimus et usum loquendi, qualis ibi inveniatur, quaerimus. Quamquam si historicorum et oratorum fragmenta consulis, parum efficitur, quippe quae *vel* ter exhibeant:

Catonis frgm. (Meyer orat. Rom. fr. ed. II p. 132): *Frusto panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur.*

C. Gracchi verba (Meyer p. 242): *Qui autem ex eodem loco atque ordine tacent, ii vel acerrimi sunt.*

Semproni Asellionis frgm. 12 (Peter hist. Rom. fr. p. 183): *Ne possent vel sationes facere hoc secus* (?);
quibus ex tribus locis primus nobis particulae vim satis incolumem servavit; licet enim interpretari: *conduci potest in quamvis partem vel uti taceat vel uti loquatur.* Duo autem reliqui significationem particulae depravatam nobis monstrant.

Iam vero *aut* coniunctionis usurpatio isdem cancellis circumcluditur, quibus eam coerceri solere saepe iam demonstravimus. Cuius ex historicis exempla Peterus in indice comportavit omnia, oratorum hic sequuntur appositis Meyerianae editionis paginarum numeris: Cato p. 52 extr.; 64 in.; 126; 144; 145. Scipio Aemilianus p. 179 in. Fannius p. 201. C. Gracchus p. 231 extr. et 232 in.; 239.

Sed hic cum in tenebris versati simus, in claram lucem intramus, si ad Catonis librum de agricultura sive de re rustica aggredimur. Nam cum iuxta legimus c. 7 extr.: *item alia genera quam plurima serito aut inserito. Oleas orcites, posias: eae optime conduntur vel virides in muria vel in lentisco contusae vel* e. q. s. et cum imperativos, quae verbi est tritissima forma in hoc doctrinae rusticae compendio, modo *vel* interposito modo *aut* coniungi videmus neque ea re sensum ulla ratione variari, quamvis inviti concedere debemus particulas aemulas iam promiscue a Catone usurpari. Neque tale quidem quale exstat cap. 160 *et tamen cotidie cantato in alio s. f. vel luxato; vel hoc modo ... vel hoc modo ...* consulto sic dictum esse credere possumus, sed temere factum est, ut hoc loco *vel — vel* appareret; Catonis enim sermonem eodem iure *aut — aut* admisisse persuasum habeo. Ceterum vide de particularum usu indicem Keilianae editionis nuper editum.[1]

Eodem modo de dicendi usu in rhetoricis ad Herennium expresso iudicandum esse primo obtutu elucebit, si haec tantum exempla hic pono: I, 1,2 *demonstrativum est, quod tribuitur in alicuius certae personae laudem vel vituperationem* et *iudiciale est ... quod habet accusationem aut petitionem cum defensione.* II, 23,35 *vitiosa ratio est, quae ad expositionem non est accommodata vel propter infirmitatem vel propter vanitatem.* Quae satis erunt, ut quam plane *vel* et *aut* se in eandem disiunctivam vim miscuerint cognoscamus.

Legum quoque reliquiae, quas Mommsenus in C. I. L. primo tomo imprimendas curavit, eodem modo utraque particula utebantur, cf. No. 198,79 et 86. 200,36. 1409,6. In monumento Ancyrano *vel* omnino non legitur.

---

1) R. Krumbiegel, Lips. 1897.

Eandem viam quam prosae orationis scriptores et Lucretius poeta iniit. Id quod satis demonstratur, hos si versus perlegimus: II, 434 sqq.

Tactus enim, tactus, pro divum nomina sancta,
Corporis est sensus, vel cum res extera sese
Insinuat, vel cum laedit quae in corpore natast
Aut iuvat egrediens genitalis per Veneris res,
Aut ex offensu cum turbant e. q. s.;

nam hic *vel cum* — *vel cum* — *aut cum* inter se respondent.

§ 2. Iam igitur ad quaestionis huius finem perventum est, nam id meum non esse puto usum particularum porro persequi, qui id mihi proposuerim demonstrare, qua via imperativus *vel* priscam suam naturam atque indolem adeo amisisset, ut simplicem disiunctionis significatum assumeret. Quod num mihi contigerit, tu ipse iudices. Mihi vero nihil aliud restat atque ut paucas animadversiones et pusillas addam, quibus rei meae me prodesse posse puto.

In primis vero tres versus adnoto, quos Birtium mihi ad manum dedisse grato animo confiteor: Tib. IV 5,13 sq.

Nec tu sis iniusta, Venus: vel serviat aeque
Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva;

et Prop. II 17,5 sqq.

Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
Ut liquor arenti fallat ab ore sitim,
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile ut toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil est quod vivat amante.

Nonne sonos auribus nostris notissimos audimus, hos versus si recitamus? Sinceram enim atque puram *vel* particulae naturam eis in versibus agnoscimus, qualis initio fuit; amabatque etiam Plautus illam monosyllaborum *vel tu* artissimam coniunctionem (cf. supra p. 50 sq.). Neque minus gratum Propertianum illud obtingit, II 11,1:

Scribant de te alii vel sis ignota licebit;

porro Lucani versus VI 599

Vel tu parce deis e. q. s.

Adicio, quod casu mihi obvenit, epigramma anthologiae lat. ed. Riese 796,6:

Vel tu pone dapes, Vare, vel aufer opes.

De Petroni usu confer Segebadii dissertationis (observationes grammaticae et criticae in Petronium) p. 46 sqq., cuius nonnulla verba quae exstant p. 49 hic exscribo: ‚*Vel*' *primum ibi locum habet*, *ubi duae res levissima disiunctione ponuntur*, *ita ut alteram ex eis eligere liceat*, *quare saepius sequitur* ‚*si*' *cum verbis* ‚*velle*, *malle*'. Exempli causa: c. 94 *iam malo vel carminibus loquaris*; c. 99 *expedite sarcinulas et vel sequimini me vel*, *si mavultis*, *ducite*; c. 114 *iunctos nos mare feret vel si voluerit misericors ad idem litus expellere* e. q. s. Praeterea haec notanda sunt verba c. 98 *per fidem*, *Eumolpe*, *reduc puerum et vel Ascylto redde.* Itaque id non sensit Segebadius *vel* praecipue ad alteram verbi personam adponi. Servavit igitur sermo hic volgaris sive cotidianus, quod quam maxime genuinum est. Ceterum *aut* multo frequentius apud Petronium quam *vel.*[1]

Eam particulae *vel* significationem, quam vertimus „zum Beispiel", et Cicero in epistulis et Horatius in sermonibus adhibere amabant. Ut nonnulla exempla afferam: Cic. ad div. VII 24 *amoris quidem tui*, *quoquo me verti*, *vestigia* (sc. *video*) *vel proxime de Tigellio*; ad fam. II 13; Hor. sat. I 6,105; II 8,27 sqq.

Nos, inquam, cenamus avis, conchylia, piscis,
Longe dissimilem noto celantia sucum:
Ut vel continuo patuit e. q. s.

Qui idem significatus etiam apud Terentianum Maurum invenitur (de cuius usu loquendi cf. Werth, de Terentiani sermone et aetate, Fl. J. S.-B. XXIII p. 355 et 375), qui sic scribit v. 1139 sq.

nil iam spondeo videas superesse relictum,
Vel tu ruricolae primum decurre Maronis.

Vides etiam hic tralaticium illud *vel tu* retineri.

De *vel* et *aut* apud iuris consultos Romanos obvio cf. Kalb. Roms Juristen, p. 72, qui Ulpianum *vel* multo saepius quam *aut* posuisse docuit.

1) Conferatur nunc lexicon Petronianum edd. Segebade et Lommatzsch Lips. 1891, p. 17.

Denique premendum est, quam mira Apuleius dicendi consuetudine usus sit, quippe qui in Metamorphosibus *vel* omnino praetulerit, cf. Becker, studia Apul. p. 13: *‚Aut' enim in omnibus eius metamorphoseon libris semel exstat, ‚aut — aut' ita ut duae res graviter disiungantur, nusquam scriptum est, sed ea significatione ubique ‚vel — vel' etiamsi tertium aliquid exclusum est .... Quid quod in unoquoque ceterorum scriptorum et ‚aut' et ‚aut — aut', ut alterum alteri respondeat, solito more usurpatum est eorum auctorum, qui disiunctivarum particularum usum ad certas regulas redegerunt!*